RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Lilienthal

Selecta Historica Et Literaria

[1]

Regiomonti Et Lipsiæ: [Königsberg]: Impensis Henrici Boyen: Literis Reusnerianis, MDCCXV

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

B. b—3065

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0003
DFG

SELECTA HISTORICA ET LITERARIA.



REGIOMONTI & LIPSIÆ,
Impensis HENRICI BOYEN,
clɔ Iɔccxv.

LITERIS REUSNERIANIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0006
DFG

VIRO

PER-ILLVSTRI, GENEROSISSIMO
& EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

LVDOVICO

ab Uſtau/

SACRAE REGIAE MAIESTATIS IN BORVSSIA

Conſiliario Status intimo,

Supremo Pruſſiae Cancellario

et

Feudorum Directori,

Haereditario Domino in Lablack/
Kieſitten &c. &c.

Quem
Musae Borussicae
velut Numen Tutelare,
Literati
tanquam Maecenatem
indulgentissimum,
Boni omnes
ut Sidus benignissimum
extollunt et venerantur,

observationes hae selectae
sacratae sunto!

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0008
DFG

PRAEFATIO.

PAucis te volo amice Lector! Quas hic in vnum volumen collectas cernis obseruationes historico-literarias, eas mori in Academiis recepto, quo Studiosi per disputationes solent exerceri, refer acceptas. Ex quo enim Juuentuti Academicae scholas aperire coepi, coepi vero octo abhinc et quod excurrit annis, auctor simul eidem fui, vt materias controuersas scribendo pertractare eas-

easdemque disputando ventilare mature sibi adsueseeret. Etenim persuasissimus semperfui, exercitiis his, sobrie institutis, non modo ingenium hebes mirum in modum acui, sed et intellectum, iis mediantibus, insignem variarum doctrinarum copiam, lingvam vero volubilitatem non contemnendam sibi acquirere, et sic egregie Juuentutem ad maiora et grauiora praeparari. Atque his exercitiis Academicis praesentes etiam substratae sunt obseruationes selectae, stylo huic instituto accommodo scriptae, diuersoque tempore ac loco ventilatae. De quibus simile si tuleris iudicium, ac desideratissimus MORHOFIVS (Polyh. L. I. Cap. XXI. §. 30.) quondam de Academicis pronunciauit dissertationibus, a vero forsan non aberraueris: vtpote cum argumentum illarum nec vulgare sit, nec per-

perfunctorie prorsus pertractatum, quemadmodum ocularis inspectio abunde docebit. Exercitationibus quibusdam, typis jam antea seorsim editis, hic iterum inter observationes locum num. V. VIII. & IX. dare placuit; siquidem in Republ. literaria adeo insolitum non est, scripta eiusmodi minutiora, quae conspectui sese facillime subducunt, in fasciculum conlecta publico reddere atque hoc modo ab interitu vindicare. Quod superest L. B. vale et plures huius commatis observationum fasciculos propediem expecta. Scribebam Regiomonti Prussorum, XX. Februarii, Anno a Virginis partu clo Iaccxv.

IN-

INDEX OBSERVATIONUM.

I. De Exorciſmo Literario.

II. De Balthaſare Bekkero.

III. Idea Eruditi modeſti.

IV. Lucæ Holſtenii Catalogus ἀνέκδοτ. MSCtorumBibliothecæMediceæ.

V. Ariſtoteles a crimine autocheiriæ defenſus.

VI. Analecta ad Cl. Wolffii diſſertationem: de Libris in ANA.

VII. De Bibliotaphis ſive invidis Librorum occultatoribus.

VIII. Apologia pro Hattone II. Archi-Epiſcopo Moguntino.

IX. De vocatis ab Adamo animalibus in Cl. Virum Herm. von der Hardt.

X. De Soloeciſmo Literario.

I. N. J.

I. N. J.

OBSERVATIO I.

DE

EXORCISMO LITERARIO.

CONSPECTUS.

§. 1. Vocis ἔτυμον. §. 2. Exorcismi varii Veteribus usitati. §. 3. Exorcismus Literarius quid? § 4. De ratione adjurandi scribas & alios, ne in libris quid immutarent; cujus ritus vestigia quæruntur in S. Codice. §. 5. nec non in Aristæa & Patribus Ecclesiæ, Irenæo inprimis. § 6. denique in recentioribus quibusdam. §. 7. De more adjurandi plagiarios & impostores literarios. §. 8. De consvetudine adjurandi Typographos & Bibliopolas, ne libros reimprimant § 9. De adjuratione ad discipulos facta, ne arcana sibi concredita divulgarent. §. 10. De Pontificiorum exorcismis, in lectores librorum prohibitorum vibratis. §. 11. De ritu adjurandi Bibliothecarum usurpatores, ne quid inde auferant vel corrumpant. §. 12. Exorcismus literarius Haar Beverlandi singularis. Epilogus.

§. I.

DE Exorcismo Literario acturis, pauca quædam circa nomen hoc prænotanda veniunt. Descendit scilicet ἐξορκισμὸς seu ὁρκισμὸς a verbo Græcorum ὁρκίζειν, quod inter alia notat, *jurejurando aliquem obstringere*, item *per sacra aliquem adjurare; gravi obtestatione Religionem animo alicujus injicere*, quod Latini veteres verbo dicunt: *obsecrare*. Quo significatu non solum in novi fœderis pandectis occurrit, v. gr. Matth. XXVI. 63. Marc. V. 7. Act. XIX. 13. 1. Thess. V. 27. sed & subinde in auctoribus profanis. Unicum adduxisse sufficiat *Polybium*, qui Libr. VI. Histor. p. m. 193. de Hannibale scribit: Τῶν δὲ προχειρισαμένων δέκα τὰς ἐπιφανεστάτας ὁρκίσας, ἢ μὴν ἐπανήξειν πρὸς αὐτὸν, ἔπεμψε τούτους. Quem locum optime, quoad vim verbi ὁρκίζειν, interpretatus est *Cicero*, de Offic. cap. 13. Tom. IV. Opp. p. m. 243. A. edit. Gruterianæ, inquiens: *quos decem*, Legatos scilicet, *Hannibal Romam adstrictos misit jurejurando, se redituros esse*.

§. II. Non uniusmodi autem erant apud Veteres adjurationes. Aliis quippe in causis publicis, inque fœderibus sanciendis utebantur; unde fœdus ὅρκιον nonnunquam appellant scriptores Græci. Hujusmodi est gravissima illa execratio apud *Æschinem*, in Oratione, quam dixerunt Amphictyones & Athenienses, juramento mu-

mutuo sese obstringentes in bello sacro, quod Solon, ut *Plutarchus* in ipsius vita habet, svadebat: *si quis hæc non servaverit, sive civitas, sive privatus, sive gens, piaculum sit Apollini & Dianæ: ne ipsis terra fruges ferat, neque uxores liberos similes parentibus pariant, sed monstrosos, neque pecudes naturales fœtus edant, & succumbant in bellis, judiciis & foro, & funditus pereant ipsi & domus ipsorum &c.* Aliis exorcismis illos adstringebant, quibus res maximi momenti erant committendæ. Legatos Carthaginensium sic adjurabat Hannibal; & hunc, puerum adhuc novem annorum, Hamilcar, pater ejus, teste *Polybio* Lib. III. p. 66. & *Livio* L. XXI. cap. I. Recentius exemplum ex *Chappio* referunt die Historische Remarquen A. 1699. p. 22. ubi ita: Als die Citadelle von Antwerpen A. 1577. von den Spaniern dem Hertzog von Arschott als Gouverneur anvertrauet ward / legte er seine Hand in die Hand desjenigen / so den Eyd von ihm soderte / und sprach: Ich schwere bey GOtt und der Heil. Jungfr. Maria / daß ich diese Citadelle treulich beschützen wil ꝛc. worauff ihm der andere antwortete: Wo ihr dieses thut / so helff euch der liebe GOTT; wo aber nicht / so hohle euch der Teuffel mit Leib und Seele. Und alle Anwesende sprachen: Amen. Sed & alii, quibus ardua negotia committebantur, adjuratione obtestati fuere. Sic Judices, ut justitiam sancte colant, solenni formula obtestantur Impp.

Leo & Alex. in Constit., quæ Novel. à Gothofredo, interprete *Enim. Bonefidio*, p.m. 280. subjuncta, h. v. *Inveniat iste DEUM & cœlestes omnes atq; incorporeas potestates sibi nunquam non adversantes. Immature ex hac vita excidat potius, quàm excedat. Incommodis insuper afficiatur perpetuis, ipsius ædium fundamenta ignis tandem devoret, & posteritas eo redigatur inopiæ, ut panem ostiatim quæritet. &c.* Medicorum pariter filios quondam adjuravit Hippocrates, ut officio suo recte fungerentur, nec medicinis mortiferis uterentur, ut videre est in famigeratissimo ejus Jurejurando, quod recensuit & doctissimo Commentario illustravit *Jo Henr Meibomius*, Lugd. Bat. 1643. 4. Apud Hebræos quoque olim usitatum fuit, ut Judices adhiberent ὁρκισμὸν, obtestationem solennem, cum exprimere vellent, aut testibus testimonium, aut reis confessionem veri, quemadmodum, post *Ant. Bynæum* de morte Christi, Lib. II. cap. V. p. 289. ostendunt *G G. Zeltnerus*, Diss. de juramentis Veter. Hebræorum, Jenæ 1693. & *Jo Jac. Lungershausen*, Disp. de adjuratione Caiphæ, ibid. 1695. edita. De exorcismis juridicis, speciatim de adjurationibus in ultimis voluntatibus quondam & hodienum adhuc adhibitis, lege dissert. *Jo Sam. Strykii*, de Execrationibus Testamentorum, Halæ 1698. publicatam. Alias Veterum adjurationes adducere jam non placet.

§. III.

§. III. Dum vero rei literariæ etiam exorcismos adplicamus, per illos nil quidem aliud intelligimus, quàm *adjurationes in Republica literaria à quibusdam adhibitas, quibus alios, ut aliquid vel facerent, vel omitterent, addita severa obtestatione, adstringere voluerunt.* Atque hujus exorcismi literarii varios modos præsenti observatione exhibere, & simul nonnulla, à studio rei literariæ minime aliena, interspergere animus est.

§. IV. Antiquus satis literarii exorcismi modus est à librorum Auctoribus adhibitus, & non modo in Librarios, codices describentes, sed & alios quoscunque vibratus, qui data opera aliquid in iisdem quovis modo immutare, corrumpere, addere aut detrahere ausi fuerint. Sunt, qui ipsum *Apocalypseos* divinum *Scriptorem*, quem Sec. I. vixisse certum est, exorcismo tali, in verbis illis, quibus Cap XXII. 18. 19. visionem suam obsignavit, usum esse existimant: in quam sententiam *Eduard. Livelejum*, celebrem quondam apud Cantabrigienses Theol. & Lingvæ Hebr. Professorem, citat *Henr. Hammondus*, in Annot. ad h. l. Immo huc quidam trahunt verba antiquissimi Scriptoris *Mosis*, Deut. IV. 2. & XII. 32. occurrentia, ubi gravissime prohibet, ne quis legi divinæ tàm quoad verba, quàm quoad sensum aliquid addat, vel ab ea detrahat. Sed quousque conjectura ista procedere possit, judicium penes Theologos esto.

§. V. Apertiora ritus hujus exempla sunt in medium afferenda. Magis ad rem facit, quod in *Aristæa* legimus adjurationis hujus indicium, scriptore Judæo, spurio quidem & subleſtæ fidei, ut inprimis ostendit *Humfredus Hody*, Dissert. contra historiam Aristeæ, Oxon. 1684. 8. edita, satis tamen antiquo. Hic in historia LXX. Int. p. m. 329. 330. editionis nitidissimæ, ab *Ant van Dale* Amstelod. 1705. 4. procuratæ, de Demetrio Phalereo, quem perperam pro Bibliothecario Regis Ptolomæi Philadelphi venditat, refert, eundem auctorem fuisse Judæis, ut perfecta translatione græca diras preces adderent in eos, qui quidquam in ea mutarent, aut loco moverent, aut detraherent. Ne jam mentionem injiciamus variarum Synodorum, quarum acta exorcismo sunt clausa, adjuratio etiam talis ad scribas in antiquissimis Patribus conspicitur, qui ea urgente necessitate usi fuerunt, eo quod ab hæreticis incredibili fraude & malitia, variis detractionibus, additionibus, inversionibus glossematibusque scripta tam Apostolorum, quàm SS. Patrum frequenter corrumperentur; ut sub horum titulis errores suos callidius spargerent atque sererent. Notabilis hanc in rem est locus *S. Irenæi*, Episcopi Lugdunensis, qui extat in clausula libri de Ogdoade, inter fragmenta deperditorum ejus scriptorum, p. m. 463. Operum, à Viro incomparabili magnoque rei literariæ damno præmatura morte nuper extincto *Jo. Ern. Grabio*, Oxo-

Oxoniæ e Theatro Scheldoniano A. 1702. fol. editorum, ubi divus Pater ita scribam obtestatur: ὁρκίσω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγραψάμην, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς· Καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ· i.e. *Adjuro te, qui transcripseris hunc librum, per Dominum nostrum JEsum Christum, & per gloriosum ejus adventum, quo veniet adjudicandum vivos & mortuos; ut conferas, quod transcripseris, & diligenter illud emendes ad exemplar, ex quo transcripsisti: utque adjurationem illam describas, & exemplari tuo inseras.* Confer de hoc Irenæi loco *Eusebium*, Lib. V. Hist. Eccl. c. 19 20. *Nicephorum* Libr. IV. H. E. cap. 30. & eruditissimas Grabii ad fragmentum illud notas. Similia exorcismorum vestigia reperiuntur in aliis etiam Scriptoribus Ecclesiasticis, v. gr. apud *Eusebium*, in Chronico, *Ruffinum* Tom. 2. Oper. *Hieronymum*, de Scriptoribus Eccles. Tom. I. Opp. fol. 117. b. *Gregorius* pariter *Turonensis* circa finem Libri X. Hist. Franc. adjurat librarios, ne quid libris suis, etsi stylo rustico scriptis, demant, vel aliquid in iis immutent, teste *Vossio*, de Historicis Latin. p. m. 253.

§. VI. Recentiores inter tali exorcismo usi deprehenduntur *Georg. Cassander*, Epist. XIV. &,

qui Irenæi verbis loquitur, *Dav. Pareus*, in admonitione ad Typographos & Bibliopolas, præfixa Corpori doctrinæ Christianæ, Hanoviæ 1651. 8. edito, & forte alii. Silentio modo non possumus præterire horrendam prorsus adjurationem *Eckardi de Repkau*, quam præmisit dem Sachsen-Spiegel / ubi in præfat. fol. 5. fac. 2. ita fatur:

Grosse Angst gehet mich an /
Weil ich fürchten muß / das mancher Man /
Diß Buch wird wollen mehren /
Und beginnen damit das Recht zu vorkeren /
Und zihe sich alßdann auff mich /
So weis mich aber GOTT unschuldig /
Welchen kan niemandt betriegen /
Er weis wol das sie liegen.
Dieweil ich aber solches nicht mag bewaren /
Drumb alle die unrecht fahren /
Und felschen was in diesem Buch /
Den send ich diesen Fluch /
Auch die was unrechts hierzu schreiben /
Die Maselsucht muß an ihn bleiben /
Als sie Gehasi dem ungetrewen thet /
Durch Eliseus des Propheten gebet /
D von Naaman wardt erlost /
GOtt unser Heyland unde Trost /
Der rechne es an ihnen also /
Das es die Seel nicht werd unfro.
HErr rechn es allein an ihrem Leibe /
Des Teuffels handfeste muß bleiben

Ihr

Ihr Schrifft / das er sie hab gewiß /
So lang sie unvortilget ist /
Auff das wehr des Teuffels ahn Ende
Wil sein / der könne senden /
Ihm diß zu Urkunde /
Und fahren damit zu der Hellen Grunde.

§. VII. Nova exorcismi literarii species est, quæ Plagiarios, nec non Impostores illos ferit, qui scripta aliis supponere atque sic decipere orbem eruditum gestiunt. De prioribus videtur intelligendus esse locus pessimi libri, qui Auctore *R. Isaac Ben Abraham*, sub titulo חזוק אמונה seu *Munimenti fidei* prodiit, & à *Cel. Wagenseilio* latinitate donatus, telis igneis Satanæ ab eo insertus est; cujus in præfatione Auctor ita scribit: *quicunque verba Magistri sui in sua transcribit, & non honorificam ejus mentionem injicit, ille obstaculum ponit redemtioni suæ.* Impostores verò illi, qui libris fictis toti Ecclesiæ imponunt, in *Canonibus*, vulgo sic dictis *Apostolicis*, execrantur. Ita enim habet Canon LX.: *si quis libros impiorum supposititios & effictos tanquam sanctos in Ecclesiam introducat, in exitium populi vel Cleri, anathema sit.*

§. VIII. Typographos etiam & Bibliopolas exorcismis literariis usos fuisse deprehendimus, quibus privilegiorum, libris suis concessorum, ruptores onerant, ne libros ære suo excusos vel reimprimant, vel sumtus in iteratam eorum

editionem erogent. Judæorum scripta adjurationibus hujusmodi ad Typographos sunt referta, ex quibus unicam hic tantum adducamus, quam Vir quidam Clarissimus & rerum Judaicarum callentissimus benivole nobis suppeditavit. Habetur illa in præfatione libri *Arba Turim*, & quidem in præmisso elogio libri à R. Samuele scripto, h. v. *Dn. Wolff, Berolinensis, novam libri hujus suscepit impressionem ob raritatem -- ne quis verò veniat, & transferat terminum ac meditetur denuo imprimere typis librum hunc, aut ex toto, aut ex parte -- Propterea concedo potestatem imprimendi Dn. Wolffio opus hoc, & impono Niddui Cherem ac Schamatha* (notissimæ species anathematum Judaicorum) *ne quis animum suum inducat, quicunq; tandem is fuerit, aut ipse aut per alium -- imprimere Arba Turim, aut totum, aut ex parte, nisi demum post XII. annos absoluta impressione Arba Turim, sine præscitu Dn. Wolffii. Qui* „ *transgreditur nostra verba, ipsum feriant* „ *omnes maledictiones & execrationes in Lege* „ *scriptæ; qui verò morem nobis gesserit, ei contingant omnes benedictiones.* Spectare huc etiam videtur obtestatio ista ad Librarios, quæ adjecta est *D. Christiani Weidlings* Oratorischen Schatz-Kammer / his verbis concepta:

Wer wol und ehrlich lebt / verdienet Schild und Helm /
Wer dieses Buch nachdruckt / den nenn ich einen Schelm.

Vide

Vide tamen ſimul lepidam parodiam, quam alius Typographus huic exorciſmo oppoſuit, in editione Francof. & Lipſ A. 1701. in 4. impreſsâ.

§. IX. Mos iſte diſciplinas ſecretim habendi, & nonniſi initiatis tradendi, nec in vulgus propalandi ubivis gentium Eruditis ab omni ævo ſolemnis fuit, quemadmodum, præter alios, erudite oſtenderunt *Melch. Zeidlerus*, in Prodromo Introductionis in Lect. Ariſtotelis, p. 14 ſqq. & *Melch. Goldaſtus*, Diſſert. epiſtolica ad Rodolphum Goclenium, de cryptica Veterum Philoſophornm diſciplina, quæ præmiſſa eſt *Oct. Ferrarii* libro de ſermonibus exotericis, Francof. 1606 in 8. excuſo. Ut verò eo magis ſuos, ad iſta ſecreta ſibi ſervanda, adſtringerent, exorciſmo illos adjurarunt, ne concredita ſibi arcana publici juris facerent. Sic, qui olim in celeberrimum illud Eumolpidarum, apud Ægyptios, Collegium ſecretum recipiendi erant, ſolemni formula adjurabantur, ut perpetuo ſilentio arcana ibi tractata involverent. Vide *Mich. Meieri* Tract. Apologet. pro fratribus Roſeæ Crucis cap. V. Ad eundem morem reſpicit Medicus ille, apud *Lucianum* in Tragopodagra, ubi de remedio ad podagræ dolores arcendos agit, quod profari non audeat, ex ratione addita:

Μύςης με σιγᾶν ὅρκος οὐκ ἐᾷ φράσαι,
Καὶ λοιδία θνήσκοντος ἐντολὴ πατρὸς
Ὃς ἔταξε κεύθειν φαρμάκου μέγα σθένος.

Ta-

Tacere me dejurium cogit sacrum
Morientis ultimumque mandatum patris,
Celare grandem vim jubentis pharmaci.

De hodiernis Indorum Brachmanibus adfirmat *Franc. Xaverius*, in Epist. Japon. *quod ludi Rector hoc agat, ut quos habiturus est discipulos, jurejurando compellat, nunquam se ea, quæ audituri sint, mysteria revelaturos.* De Alchemistis etiam, quos Adeptos vulgo dicimus, notum est, quam serio arcana sua revelare suis prohibeant, adeo, ut jurejurando eos, qui his mysteriis initiantur, ne ea prodant, obstringant: ne improbi scilicet & indigni homines ad tanti thesauri perveniant possessionem. Hinc in Rosario Philosophorum legitur: *qui revelat secretum artis, maledicetur & morietur apoplexia.* Et *Raymundus Lullius* in practica: *sub anathematis pœna prohiberis, ne alicui discooperias, nam à DEO maledictus est, qui discooperit.* Et in theoria: *juro tibi supra animam meam, quod si ea reveles, damnatus es.* Denique in Aquario sapientum dicitur: *si cuiquam indigno aut impio arcanum revelaveris, æternæ salutis facies jacturam.* Conf. Cl. V. *Jo. Fr Buddeus*, quæst. an Alchemistæ sint in Republ. tolerandi, §. 23.

§. X. Alius ab his est Exorcismus Literarius, qui in Lectores librorum a quibusdam solet vibrari, Papicolis inprimis, qui passim in librorum prohibitorum & expurgandorum indicibus, lectio-

lectionem hæreticorum, ut vocant, Scriptorum sub excommunicationis pœna interdicunt, illosque, qui decreto huic S. Ecclesiæ morem non gerunt, anathematis fulmine percutiunt. Quod inventum, ut Patribus Conciliabuli Tridentini suos debet natales, ita strictissimè in Romana Ecclesia hodie adhuc servatur. Extat inprimis hâc de re Synodi cujusdam Gallicæ decretum apud *Laur. Bochellum*, in decretis Eccles. Gall. Libr. I. T X. cap. 2. p. 94. his verbis conceptum: *nullus, cujusvis conditionis ac status ille sit, libros prohibitos, juxta indicem, Sedis Apostolicæ jussu editum, legere, aut domi retinere, aut vendere, quoquô modo audeat. Alioquin sciat, se excommunicationis sententia innodatum, à qua nonnisi à Romano Pontifice absolvi potest* Et innumera sane reperiuntur loca, ubi Romanæ Ecclesiæ Antistites execrantur illos, qui scripta Lutheri, Calvini, Hussi & aliorum Hæresiarcharum legerint: unde Lectorem plura hujus exorcismi exempla desiderantem, ad ipsos Papistarum indices ablegamus; de quibus alias vide *Dan Franci* disquis. doctissimam, de Papistarum Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum Lips. 1684. 4. editam. Conf. *Jo. Gottl. Möllerum*, in Decade Observat. Miscell. Rostoch. 1693. publicata, Obs. VI. & sqq. & *Jon. Conr. Schrammium*, Disp. de Librorum prohibitorum indicibus, horumque utilitate & abusu, Helmst. 1708. 4.

§ XI.

§. XI. Nescio, annon ad Exorcismos Literarios etiam spectent adjurationes ad Bibliothecarum usurpatores factæ, ne libros in illis collocatos vel auferant, vel deforment: item ad Bibliothecarum præfectos, ne libros divendant, vel extra Bibliothecæ pomœria illos cuidam utendos concedant. Ad Bodlejanam certe Angliæ Bibliothecam celebratissimam nemo admittitur, nisi adjurari se passus fuerit, sequenti formulâ: *Tu promittes, sanctéq; coram DEO O. M. recipies, quod quoties in publicam Academiæ Bibliothecam venire Te contigerit, animum ad studium per modestiam & silentium accommodabis: libros ceterumq; cultum sic tractabis, ut superesse quàm diutissimè possint. Item, quod neque Tu in persona tua, aliquem vel aliquos libros surripies, permutabis, rades, deformabis, lacerabis, scindes, annotabis, interscribes, sponte corrumpes, obliterabis, contaminabis, aut aliquo modo detruncabis, abuteris, deteres aut imminues: nec alii cuiquam auctor eris, horum quidvis perpetrandi, sed quantum in te est, delinquentem vel delinquentes impedies, ipsorumq; maleficia Vice-Cancellario ejusq; Deputato intra triduum, postquam tibi innotuerunt, denunciabis Ita te DEUS adjuvet, tactis S. sanctis Christi Evangeliis.* Pariter Bibliothecæ Windhagianæ Dominicanorum, apud Viennenses, dira execrationis formula præfixa est, Pontificis confirmata auctoritate adversus omnes, qui non librum modo, sed & schedam aut pittacium extra Bi-

Bibliothecam usurpandum dant, aut accipiunt, referente *Wagenseilio*, in Epist. de Hydraspide, p. 4. 5. Idem de Bibliotheca Angelica, Romæ in Augustinianorum monasterio, *a la Sapienza* dicto, asservata, testatur *Max. Misson*, Itiner. p. m. 824. Denique inter leges Bibliothecæ Vaticanæ, tabulæ marmoreæ inscriptas, apud *Cicarellam* in vita Sixti V. p. m. 437. hæc invenio: *Nemini libros, Codices, Volumina hujus Vaticanæ Bibliothecæ ex eâ auferendi, extrahendi, aliove asportandi, non Bibliothecario neque Custodibus, Scribisque, neque quibuvis aliis, cujuvis ordinis & dignitatis, nisi de licentia Summi Rom. Pontificis scripta manu facultas esto. Si quis secus fecerit, libros partemve aliquam abstulerit, extraxerit, clepserit, rapseritque, carpserit, coruperit dolo malo, ille à fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto. A quoquam, præterquam Rom. Pontif. ne absolvitor.*

§. XII. Ad Exorcismum tandem literarium suo etiam modo referri debet adjuratio illa singularis, qua utitur famosissimus iste antiquæ castitatis vindex *Hadr. Beverlandus*, J. U. L. (de cujus fatis vide den Neuen Büchers-Saal Part. 14. p. 141.) in Admonitione de fornicatione cavenda, Londini edita, & mox in Belgio, A. 1698. & 1710. 8. recusa; ubi in præfatione, postquam execrandum suum, de Peccato Originali, librum A. 1679. 8. impressum, detestatus fuerat, (se-

(serione, an verò ut majus tantum ejus desiderium excitaret, & pretium novum illi constitueret, Superi norunt,) Lectores sequenti adjurat exorcismo: *Rogo omnes, qui clam, vi vel precario aliquid à me possident Manuscripti, ut istud mihi remittant, ut & ipse quoque tradam Vulcano. Quod si quis negligat, illi omnes imprecor calamitates, quæ maligno & perfido solent contingere.* Confer ceteroqui de Beverlando & spurcissimis ejus scriptis *B. Zach. Grapium*, in Theol. recens controversa continuata, Cap. VI. quæst. 2. p. 148. sqq. & Auctores ibi allegatos. Atque hic Observationis nostræ de Exorcismo Literario finis esto. Plura exempla si quis notaverit, facile illa hisce nostris addere, & sub istas adjurationum literariarum classes à nobis constitutas collocare poterit. Quod supereſt elegans etiam hic pertractari posset quæstio: *utrum quis justè alium adjurare exorcismo literario queat, & in quantum alium adjuratio ejusmodi obliget?* quam materiam ex illarum censu esse quilibet facile advertit, quæ laudem & vituperium ex circumstantiis variisque negotiorum figuris merentur. Sed cùm argumentum hoc ad juris & practicam disciplinam pertineat, nobis verò constitutum fuerit historicè tantum de exorcismo literario agere, facile nobis veniam dabit Lector benivolus, quod à prolixiori materiæ hujus tractatione abstineamus.

Observ. II.

OBSERVATIO II.
DE BALTHASARE BEKKERO, ET MOTIBUS AB EO EXCITATIS.

SUMMARIA.

§. 1. *Eruditorum multi historias Controversiarum exoticarum oscitanter tractant.* §. 2. *Cujus rei causæ sunt: (α) subsidiorum necessariorum defectus.* §. 3. *Deinde (β) lingvarum exoticarum ignorantia.* § 4. *Tandem (γ) varia præjudicia.* § 5. *Ex iisdem fontibus derivatur negligens tractatio historiæ Bekkerianæ: cujus plenior delineatio promittitur.* §. 6. *Bekkeri nativitas.* § 7. *Studia juvenilia.* §. 8. *Promotio prima ad functionem Ecclesiasticam.* §. 9. *Gradus in Theologia summus.* §. 10. *Matrimonium* §. 11. *Scriptum de Philosophia Cartesiana.* §. 12. *Commentarius ejus in Catechismum Palatinum.* § 13 14. *Motus ob eundem varii.* § 15. *Hæreses Bekkero impactæ.* §. 16. *Controversiæ exitus; libri proscriptio & abitus Bekkeri ex Frisia in Hollandiam.* §. 17. *Minister Ecclesiæ Amstelodamensis fit, sed non sine difficultate.* §. 18. *Disquisitionem de Cometarum præsagiis edit.* §. 19 *Ut & alia nonnulla. Reliqua in sequentem Observationem reservantur.*

§. I.

IN Historiam Balthasaris Bekkeri cum nuper inquirerem, varia mihi quidem sese offerebant Eruditorum scripta, quibus placita ejus peculiaria ex professo sub examen revocarunt: mirari interim subibat, ne ullum quidem ex his, in seculo notitiarum literariarum fertilissimo, vitæ Bekkerianæ, scriptorum pariter & controversiarum ejus notitiam, ea qua par erat accuratione, orbi erudito suppeditasse. Quas enim hinc inde de Bekkero insparsas legebam relationes historicas, aut parcas nimis & tumultuarias, aut defectibus pæne multis laborantes, quasdam etiam illarum vel penitus falsas, vel nimio partium studio infectas offendebam. Veniam tamen facile negligentiæ huic dabam, postquam compertum mihi erat, Eruditorum multos controversiarum in exteris regionibus, recentiori ætate, motarum curiosissimos quidem esse, solida tamen rerum gestarum cognitione plerumque destitui.

§. II. Et causæ quidem hujus oscitantiæ mihi videntur esse sequentes: (1) quod subsidiis hanc in rem necessariis utplurimum careant. Aut enim propter locorum intercapedinem scripta illa exterorum eristica raro in Bibliopoliis apparent; aut propter sui exilitatem conspectui sese quam citissime subducunt: aut tandem res Eruditis plerumque angusta domi prohibet, quo minus vel ipsa sibi ista comparare scripta, vel de contentis ille-

illorum, ope commercii literarii, edoceri queant. Hinc est, quod in cognoscendis controversiarum exoticarum historiis unice sapiant, vel è sterilibus Ephemeridum literariarum relationibus, vel ad summum ex eorum scriptis, qui sese sententiis istis novis opposuerunt, adeoque actores simul sunt & judices: cum tamen & altera pars, quid ad ista regesserit, fuisset audienda.

§. III. Deinde (2) & hæc hujus rei causa videtur esse, quod Eruditorum plerique tantam lingvarum exoticarum peritiam raro possideant, ut absque hæsitatione scripta idiomate peregrino exarata intelligere possint. Scribunt scilicet hodie exteræ nationes de gravissimis controversiis potissimum in vernacula; id quod Belgis inprimis usu venire cernimus, quos inter homines, illiterati etiam, litium inter Eruditos existentium satis sunt curiosi; in quorum ergo usum scripta utriusque partis idiomate domestico publicari solent, ut Lectores vel à periculosis novitatibus sibi cavere discant, vel vice versa de impactis huic vel illi Auctorum hæresibus judicium ferre possint. Fuit hoc quondam præcipuum Cartesianorum & Coccejanorum in Belgio stratagema, doctrinam suam etiam apud homines de plebe commendandi, & adversarios suos de ponte dejiciendi: cum si latinè solum scripsissent, controversiæ mansissent Academicæ, & Antagonistæ novarum sententiarum artifices apud vulgum, tanquam Atheos & Reipubl. turbatores, traduxissent

non solum, sed & fidem forte penes illum inveniſſent. Cum itaque multi Eruditorum ſermonis exotici ſint ignari, fontes controverſiarum recentiorum aperire nequeunt, adeoque aut easdem plane relinquunt, aut è laticibus aquas hauriunt.

§. IV. Sed & (3) apud nonnullos ſacrum illud antiquitatis præjudicium tam altas egit radices, ut ſuſpectum ſtatim, adulterinum & execrabile illis videatur, quidquid novitatis ſpeciem præ ſe fert, & latum tantum ungvem ab inveteratis opinionibus recedit. Qui mentis morbus nonnullos adeo infeſtavit, ut, ſuperſtitioſo omnis novitatis odio abrepti, ſcripta recentiorum indigna cenſeant, quæ vel perlegant, moniti illius Apoſtolici: πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε executores negligentiſſimi. Ex quo non poteſt non illud conſequi abſurdum, quod Scriptores nec lectos, nec examinatos, ex nimia præcipitantia ſtatim condemnent, dummodo à Viris in auctoritate quadam conſtitutis, (quorum ſententiis, pro Tribunali quaſi dictis, cœco impetu ſubſcribunt) novitates periculoſæ iis fuerint impactæ. Quodſi ergo illi in hiſtoriis controverſiarum recenſendis errant, reliqui cum iisdem errare ſibi laudi ducunt.

§. V. Atque hæ potiores mihi ſemper viſæ ſunt cauſæ neglecti hactenus, aut præpoſterè tractati, controverſiarum exoticarum inter Eruditos ſtudii. Forte etiam una vel altera illarum in cul-

culpa fuit, quod tam exiguam hactenus historiæ rerum à Bekkero gestarum, ut & turbarum ab eodem excitatarum habeamus cognitionem: quæ tamen, cum non gravissimæ solum sint, sed suos etiam in nostris terris hodie reperiant defensores pænè multos, dignæ profecto existunt, quæ aliquantò accuratius omnibus innotescant. Præsens ergo observatio in conspectu quasi historiam vitæ, scriptorum & controversiarum Balthasaris Bekkeri, ea qua fieri poterit ἀκριβεια, exponet, atque insimul, quæ ab aliis præterita sunt, adjiciet, quæ verò oscitanter relata emendabit: idq; partim è relationibus Virorum Belgii doctorum, qui scenæ hujus & actores & spectatores fuere; partim ex scriptis Bekkerianis, quæ ea, qua potui, industria conquisivi, conquisita perlegi, perlecta tandem cum narrationibus illis Virorum Eruditorum contuli. Tibi L. B. notitia hæc ad id proderit, ut, gravissimas semper fuisse Theologorum in Belgio controversias domesticas, inde intelligas: varias quoque hominum machinationes, quibus veritati obicem ponere solent, inde discas; denique novo hoc specimine experiaris, Ecclesiæ controversias nonnullas ex privatis Theologorum rixis & odiis ortas fuisse.

§. VI. Balthasar ergo Bekker, cujus jam historiam bono omine adgredimur, natus est die 20. Martii styli veteris, Anni ciɔ ɔcxxxiv. Natale solum ipsi fuit satis obscurum, pagus quidam agri Frisiæ occidentalis, quem *Metslawier*

idiomate Belgico dicunt. Patrem nactus est Concionatorem, qualem tunc ferebant tempora, opus Domini in dicto pago, ad classem Dokkumensem pertinente, fideliter urgentem; qui ex honestissima conjuge alios etiam præter Balthasarem nostrum liberos suscepit. (1)

§. VII. Statim ab ineunte ætate ingenium prorsus singulare & laborum pertinax in nostro sese prodidit: quod animadvertens Pater ejus, Musis eundem mancipare mature decrevit. Ipse verò Parens studiorum filii formandorum curam in se suscepit, & ad decimum sextum usque ætatis annum in elegantiori literatura eundem instituit, quo de sibi semper valde gratulatus est noster. Hinc curriculo scholastico feliciter absoluto, Anno 1650. & sequentibus Academias Franeckeranam & Gröninganam, ad percipiendum ulteriorem ingenii cultum, visitavit. Et Franeckeræ quidem ab ore *Bernhardi Fullenii*, insignis Mathematici pependit, a quo etiam Matheseos elementa didicit, inque Astronomia cumprimis multum, sub ductu ejus, profecit. (2) Gröningæ

(1) Fratris Bekkeri nostri meminit *Samuel Maresius*, in Epistola quadam, quæ extat in *Bekkeri* defensione justa & necessaria contra Maresium p. 4.

(2) Consule *Bekkeri* Epist. Dedic. ad Fullenios, præmissam editioni Belgicæ der bezaub. Welt/ de A. 1691. 4.

ningæ verò *Sam. Maresium* in Theologia habuit præceptorem bene meritum, (3) nec non *Jac. Altingium*, Lingvæ Hebrææ Professorem, cujus privata non solum in Lingvis Orientalibus informatione, sed intima etiam postmodum familiaritate gavisus est. (4) Philosophiæ quoque Cartesianæ, eo tempore noviter ortæ, fundamenta, sub manuductione Virorum utriusque Academiæ clarissimorum, jecit solidissima.

§. VIII. Nondum plene emetitus erat integrum cursus Academici lustrum, cum circa A. 1655. ad officium Ecclesiasticum, in pago Frisiæ Orientalis *Osterlitten*, Classis Franeckeranæ, defungendum vocaretur. Cui etiam functioni ultra decennium cum laude præfuit. Neque tamen in secessu isto pagano otiosum se præstitit: verum studia sua ad altiora tendentia magis magisque excolere annisus est. Fertur enim hic loci primum concepisse istam de operationibus Diaboli sententiam, cujus publicatione tantum odii sibi postea conciliavit (5).

(3) Vide *Bekkeri* defensionem contra Maresium, p. 8. 11. 13. 20.

(4) Testantur de Bekkeri & Altingii amicitia Epistolæ frequentiores mutuo invicem datæ, quæ in operibus Altingii, à Bekkero editis, extant.

(5) Vide Das Allgemeine Historische Lexicon, in Appendice, p. 4.

§ IX. Anno 1665. supremos in Theologia honores à Facultate Theologica Franeckerana petiit, illosque habita Dissertatione inaugurali, theses quasdam extemporaneas exhibente, impetravit. Sed notatum à quibusdam (6) est, Bek-

(6) Vid. *Heinr. Brinck* Godslasteringen van D. Bekker in præfat. ** 5. 6. ubi ita: *Het heugd my noch wel, hoe veele zwaarhofdig waren, doe hy voor 26. jaren hem wilde laten promoveeren tot Doctor Theologiæ. En doe het' er toe quam, soo wete noch wel, als toehoorder zijnde van de Disputatio inauguralis, hoe d' eene en andere tegen hem opponeerde niet slechts oeffenings-halven, maer met droefheid in de ziele, dewijlse oordeelden, en ook in het opponeren te kennen gaven, dat' er ook Theses in dat Inaugural disput waren, die anliepen tegen de volle Godelijke autoriteit der Schriftuir, en de welke wesen konden van gevaarlijken gevolge. Man hoorde hem onder andere ook in die Theses seggen deese woorden:* Dat alle en elk een der Heyliger Schrijvers door een bysonder Bevel Gods tot het schrijven, zijn aangeset, en blijkt niet. *Ook dat Sozinianse:* De Vaderen des Ouden Testaments, wien het alleen geoorloft geweest is Christum door een radsel te sien, insonderheid het gemeene Volk onder haar, hebben, na de maniere van die tijd en openbaringe, naulijx haar gelove verder kunnen formeeren, als

Bekkerum jam tum ingenium novaturiens prodidisse, & singularibus hypothesibus indulsisse. Opponentes siquidem in ipso disputationis conflictu ostendisse, theses ejus non solum in divinam Scripturæ auctoritatem esse injurias, sed & periculosissimas ex iisdem fluere consequentias. Quamvis rem ita gestam esse diserte negent alii (7) &

als daar te rusten in God alleen, die de maniere of middel van Zaligheid by hem hadde. *Doch met schoon-spreeken, en andersinns maakte hy er noch door, en quam tot sijn oogmerk, om eerst Doctor Theologiæ, en korts daar na om Predikant tot Franecker te worden, niet tegenstande' er heel veel misnoegen der Gemeente, al veel gegrond op de sorgelijkheid van des Mans verstand, tegen was.*

(7) Hos inter præcipuus est Auctor pseudonymus, qui se vocat *Zalomon Noomtijns*, in Epistola ad amicum, cui titulum fecit: Spegel voor Philalethes, Amstelod. 1692. 4. p. 28. 29. ubi Bekkerum ab his adversariorum calumniis liberat, ostenditque eundem in præsentia omnium membrorum Synodi Nationalis, Franeckeræ eo tempore convocatæ, Disputationem hanc inauguralem habuisse. Addit: *dit Dispuit geschiede met zulken genoegen, en playsir, dat de Lieshebbers, vreezende dat het te ras gedaan zou zijn, de Klok een half uur te rug deeden zetten, en egter was't nog*

over

referant summo omnium adplausu Disputationis actum finitum, nec litem à quoquam Bekkero ob orthodoxiam motam fuisse. Quidquid hujus rei sit, consentientibus omnibus, quorum intererat, Doctoratus Theologici axiomate condecoratus, & mox à pristina statione ad concionatoris munus apud Franeckeranos defungendum, vocatus fuit.

§. X. Franeckeræ dum degeret noster, A. 1667 grata matrimonii compede sibi junxit Virginem lectissimam, filiam unicam supra laudati Bernh. Fullenii, qui per integrum jam ante decennium diem suum obierat. Quo de conjugio impense semper gavisus est Bekkerus: (8) inprimis postquam uxor hæc tres ei peperisset liberos, (9) filium scilicet *Johannem Henricum*, & du-

over twaalf uuren eer den Hr. Bekker een eynde maakte. (dit dan ruim vierde half uur duurende, daar er maar 2. toe gestelt zijn) Wanneer jeder van die aanzienelyke Mannen, elk om 't meeste yverde den Doctor geluk te wenschen. - - - Nooit zoo lange de Hoge Schoole tot Franiker geweest is, heeft jemand de eere gehad als D. Bekker zoo veele Opponenten te hebben, en dat alle Mannen van een extreme geleerdheyd.

(8) Lege dedicationem der bezauberten Welt/ editionis Belgicæ.

(9) Singularis est Epistola dedicatoria Bekkeri ad

& duas filias, quorum ille ſtudiis poſtmodum dicatus, & haud ita pridem adhuc in vivis fuit.

§. XI. Circa hæc tempora graviſſimi motus, à Gisberto Voëtio & aſſeclis ejus de Philoſophia Carteſiana excitati, in Belgio agitabantur: cujus belli literarii hiſtoriam perſonatus ille *Irenæus Philalethes*, i. e. Jac. Rhenferdius, omni-

ad uxorem ſuam, verſibus elegantiſſimis incluſa, & mundo ejus faſcinato præmiſſa, qua illi librum hunc ſuum, ut fœtum ingenii ſui & infantem, ut vocat, chartaceum, offert. Ita verò ſeſe habet initium epiſtolæ: *Brief van D. Balth. Bekker aan zijn Huysvrow*, FROUK FULLENIA.

Hertlive ſeer getrouwe
Vernoegde deelgenoot in voorſpoed als in rouwe,
Veelwaarde Moeder van twee Dochters, eenen Soon;
En paerel aan het goud van ons drie dobble Kron.
Magh dit Papiere-Kind U me voor Moeder groeten;
Ik geef't u in den arm &c. &c.

Exagitavit poſtmodum literas has quidam *Laurentius Baak*, in Satyra quadam rythmicè ſcripta, eò quod Bekkerus majorem ſibi perennitatem & nominis celebritatem ex hoc chartaceo fœtu, quam ex liberis ſuis promiſerat. Cui tamen alii, lepidè non minus quam aculeatè, reſponderunt. Vide *Twede Vervolg* der Gedichten, ſo voor als tegen de Betoverde Werelt, p. 41. ſqq.

omnium accuratissimè dedit. (10) Scripsit ergo Bekkerus quoque exiguum libellum, septem circiter plagulis constantem, hoc titulo: *de Philosophia Cartesiana admonitio candida & sincera*, Vesaliæ 1668. in 12. impressum; (11) non quidem ea intentione, acsi Philosophiæ Cartesianæ defensionem in se suscipere vellet, sed ut ignaros de genio hujus Philosophiæ informaret, (12) & fratres suos in Frisia (quibus etiam opellam hanc inscripsit) moneret, quidquid illud sit, quod huic Philosophiæ objiceretur, tanti tamen non esse, ut tantas meretur turbas. (13) Probat enim in libel-

(10) In libello Amstel. 1708. in 8. excuso, h. t. *Kort en opregt Verhaal van de eerste Oorsprong der Broedertwisten die nu Veertig Jaaren de Nederlandsche Kerken ontrust hebben.* Arcanam scriptum hoc sistit motuum religionis in Belgio historiam, inter Voëtium & Maresium ab una, Cartesianos item & Coccejanos ab altera parte agitatorum.

(11) Corrigendum hinc est das allgemeine Historische Lexicon, quod in Appendice, scriptum hoc Amstelod. A. 1693. in 12. primum prodiisse, docet.

(12) Confer dedicationem hujus libelli, circa finem.

(13) Ita enim Bekkerus in admonit. Cap. VIII. §. 18. p. 142. scribit: *Id præsens negotium maximè respi-*

libello hocce & strictim ostendit, dogmata Cartesianæ Philosophiæ nihil quidquam cum orthodoxia Ecclesiæ Reformatæ pugnare, sed amicè potius conspirare. Quanquam verò quibusdam labor hic Bekkerianus probaretur, utpote *Christiano Schotano*, Theol. Professori & Ecclesiastæ Franeckerano, (14) imo, quod notari meretur, ipsimet *Sam. Maresio*, infensissimo, non Cartesii solum, sed & Bekkeri, post reconciliationem cum Voëtio (15) Anno 1669. factam, hosti admo-

respicit, ut charitatem religiosè tueamur, atque in rebus philosophicis nunquam simus parum sobrii. Nec facile definiamus, utra partium eligenda sit: quod dum adhuc est indefinitum, ex universis legant singuli, quæ cum ratione probent, ea præsertim, quæ facilem habent in Theologia usum. In cæteris, Cartesianus mavult esse aliquis, ne despiciat Veteres: Veteribus se addixit, ne insultet Cartesianis. Unusquisque suo abundet sensu.

(14) Patet hoc ex elogio & judicio, libro huic p. 149. sqq. *à Schotano* annexo.

(15) De reconciliatione Voëtii & Maresii in exitium, si fieri posset, Cartesianorum & Coccejanorum instituta, peculiaris extat *Joh. van der Wayen* Epistola ad amicum, Anno 1670. in 4. edita, hoc titulo: *de reconciliatione Clarissimorum Virorum* (Empæcta quidam vocem *Errorum* aliquando pro *Virorum* substituit) *Gisb. Voëtii & Sam. Maresii.*

admodum placeret: (16) apud plerosque tamen in Frisia Pastores (qui omnes fere Voëtiani erant) libellus hic magnam auctori suo invidiam conciliavit. Inprimis verò *Joh. van der Wayen* expertus est adversarium, (17) qui tamen post ipse in Cartesianorum & Coccejanorum partes transiit. (18)

§. XII.

(16) Scripserat *Maresius* Bekkero: *de tuo libello circa Philosophiam Cartesianam semper honestè sensi & judicavi.* Vide *Bekkeri* defens. contra Maresium, p. 31.

(17) Conf. *Bekkeri* Compendium Hist. Eccles. additum Hornii H. E. p. 28. 29.

(18) Singulari prorsus factum est casu, ut Wayenius in partes Cartesianorum & Coccejanorum transiret. Scilicet cum Medioburgi Concionatoris munere defungeretur, frequenter legebat Petri Martyris opera, & cum aliquando ex iisdem concionem quandam publicè habuisset, monitus est à Collegis suis, se in illa concione novitates Coccejanas proposuisse, à quibus esset abstinendum. Respondebat Wayenius, se ne quidem in textum suum consuluisse commentarios Cocceji, sed Petri Martyris: & ut in posterum caveret, ne cum Coccejo loqueretur, homine Novatore, promisit, se scripta Cocceji lecturum & collaturum fore. Dum verò Cocceji scripta postea legeret, de veritate dogmatum Cocceji & privatarum interpretationum ejus in ani-

§. XII. Sed accedebat his aliud quid longè gravius. Nimirum dum Franekeræ crebris Catechisationibus plebem Christianam erudiret Bekkerus, Anno 1670. in usum provectiorum Catechismum moliebatur, aut si mavis, Commentarium in Catechesin Palatinam, methodo erotematica concinnatum, hoc titulo: *De Vaste Spijsen der Volmaakten.* In hujus præfatione de defectibus Catechismorum eo tempore extantium, ut & de nævis Catechizantium aliquanto liberius differebat. In ipsum vero libellum quasdam Jac. Altingii sententias peculiares infarciebat, quamvis alias cum Altingio per omnia non faceret. Mittebat Commentarii hujus Catechetici folia aliquot priora, quam primum prælo erant liberata, Gröningam Præceptoribus suis Maresio & Altingio, & per literas, Franeckeræ 3. Kal. Sep. 1670. ad Maresium scriptas, rogabat, ut Reverendæ Facultatis nomine dignarentur illa censere, & si probarent, orthodoxias & consensûs cum doctrina Ecclesiæ Reformatæ testimonium largiri. Altingius librum adprobabat, etsi quædam suis hypothesibus contraria in illo reperiret. Maresius verò, juratus tunc Altingii adversarius

animo est convictus, usque adeò, ut flexis genubus DEO gratias egerit, pro tanta luce in Scripturis per Coccejum sibi accensa, & à refutatione Cocceji destiterit. Id Wayenius sæpe postea amicis suis professus est, quorum fide ista refero.

rius, (20) graviter offendebatur, ob pauca quædam in illo libro ad similem modum explicata, quem ipse in Collega suo, Altingio, improbaverat. Putabat nimirum Maresius, Bekkerum ab Altingio subornatum esse, ut paradoxa sua dogmata publica redderet, adeoque Altingium per Bekkerum in Catechesi sua loqui de his, quæ inter se & Maresium controversa essent. Quare aculeatè, pro more suo, Bekkero respondebat Maresius & censuram Catechismi plane denegabat. (21) Instabat Bekkerus, epistola altera ad

(20) De litibus Altingio-Maresianis magna animorum contentione agitatis, vide pluribus *Jac. Rhenferdii* Brœdertwisten p. 12. sqq.

(21) Ut genius Maresii cognosci possit, placet verba ejus quædam apponere. Ita verò scribit, in Responsoriis literis, Gröningæ $\frac{6}{16}$. Aug. 1670. ad Bekkerum datis: *Quantum ad nostræ Facultatis commune, quod de illa expetis, judicium, ejus consequendi hoc rerum statu non est quod ullam spem tibi faciam. Cum enim sint in eo quædam, de quibus non eadem ambo statuimus, abirent forte in novam μῆλον ἔριδος, si inter nos de illis deberemus conferre: quanquam nec ullius ejusmodi collationis instituendæ ullam video rationem. Ne dicam, quod Franekeranum Doctorem, qualis es, Franekeræ etiam commorantem alterius Academiæ quærere suffragia, tam novum videretur, ac si Sor-*

ad Maresium V. Kal. Novemb. ejusdem anni perscripta, ad singula ista Maresii dubia respondendo, & ostendendo nil causæ eidem subesse, quod censuram publicam denegaret. Protestatur simul, Altingium sibi nihil de suo subministrasse, nec quocunque modo in consilium edendi Catechismi admissum esse: quin potius fatetur, se sæpiusculè longius ab Altingio in quibusdam discessisse, quam à Maresio. Atque cum jam probè certus esset, Maresium principem sibi adversa-

C rium

Sorbonicus Doctor Lovanienſis Univerſitatis ſubſidium imploraret. Utinam miſſis his Catecheticis, ex quibus novas rixas metuo, bonas tuas horas impendiſſes in latinum transferendæ & refutandæ Catecheſi Eunomii, quam manuſcriptam græcè aſſervat illuſtris noſter Voſſius; id feciſſes minori tuo periculo & majori cum gloria. Et ſiquidem alea jacta eſt, & videris ultimam adhibuiſſe limam tuo labori, etiam dum excuditur: cur metueres eum exponere abſque ſatellitio adprobationum, quod ſero nimis expetitur, judicio publico? ſi quem poſthac nanciſcaris Cenſorem, ut ominor, is dubio procul non inſurget in univerſam tui libri doctrinam: ſed duntaxat hinc inde quasdam arripiet enunciationes, quas vellicet & inſimulet vel novitatis vel heterodoxiæ. Et tunc demum tempus erit aliorum expiſcari judicia, ſi ita videbitur, quo de fratrum tuorum conſenſu queas gloriari. Non debemus autem eſſe miſeri ante tempus. &c. &c.

rium existere, cæterosque clam instigare, multa cum parrhesia literas hasce instruxit Bekkerus, quas inter alia ita claudit: *malo hostem apertum, quam amicum simulatum. Censorem meum, quem ominaris, quemque ita describis, ut ignotus tibi esse nequeat, non litis amore, sed veritatis & innocentiæ meæ tuendæ avidus expecto.* Hinc ergo alterum Maresio irascendi fuit argumentum: quam iram ille quidem satis callidè in responsoriis ad Bekkerum dissimulavit, interea tamen cum *Nicolao Arnoldo*, Theologo Franekerano per literas clam egit, ut Commentarius ille Bekkeri Catecheticus ecclesiasticè & politicè condemnaretur.

§. XIII. Magni nominis & existimationis Theologus eo tempore inter Belgas erat Maresius, cujus cum nimium valeret auctoritas, facile in suam sententiam pertraxit cæteros ut Bekkero molestiam facesserent. Concitabat enim Classem Ecclesiasticam Gröninganam, ut contra libellum Bekkeri Catecheticum gravius quidquam statueret, & gravamen ad Synodum Frisicam eapropter mitteret. Et lepida res fuit, libri, quem supprimendum & proscribendum edicto contendebant Maresiani, nullum exemplar proferre potuerunt, perquisitis omnibus bibliopoliis, ut necesse habuerit Maresius, quod à Bekkero dono acceperat, uni ex Magnatibus tradere, Collegio Deputatorum exhibendum. (22) Hinc Synodus Frisica, Bol-

(22) Vide *Bekkeri* Epist. Apol. contra Mares. p. 36.

Bolzwarti Anno 1671. congregata Catecheſin hanc examinandam ſibi ſumſit, & à Mareſio inſtructa libellum publico nomine, tanquam periculoſa dogmata complectentem, damnabat. (23) Conſtituuntur ſimul cenſores, Deputati Synodi, qui phraſes quasdam delent, mutant, emendant: ad quorum etiam arbitrium Bekkerus folia iſta Catechiſmi jam impreſſa emendat, (24) illaque

(23) Judicium Synodi hiſce abſolvitur: *Dat het boek D. Bekkeri voor het meerendeel wel was een geleerd geſchrift, echter in ſich vervattede verſcheyden veeemde uitdrukkingen, onſchrifmatige Stellingen en gevaarlijke gevoelens, die in een Duyts geſchrift, veel min in een Catechizatie over de aangenomene Catechiſmus, zijnde een formulier der Eenigheid onſer Kerke, geenſins en behoorde gedult te worden; en daarom niet behoorde gedrukt te worden, of gedrukt zijnde gemeen te blijven. Maar in tegendeel dat het ſelve, glijk het ingetrokken was door haar Edele Mogende by een publijk Placcat, behoorde ingetrokken te blijven. Doch met dien verſtande, dat het ſoude mogen gedrukt en uitgegeven worden op nieuws, wanneer het, als 't behoort, geviſiteert, en van 't geene aanſtotelijk is, geſuyvert ſoude zijn.*

(24) Ipſimet Bekkeri adverſarii diffiteri nequeunt, eundem ſeſe decreto huic Synodi Friſicæ mira facilitate ſubmiſiſſe, & omnium deſideriis

iterum recudi facit, & tamen nihil agit. Nam sequenti Synodo novi constituuntur ex Deputatis censores, qui emendationes Bekkeri ex mente & sententia Antecessorum suorum exhibitas improbant, alia de novo carpunt, & sic nodum in scirpo quærunt. Bekkerus iterum facilem se præbet, & quantum fieri poterat, ex horum etiam sententia omnia emendat, & nihilominus tamen sequenti anno in Synodo eodem modo jactatur & divexatur. (25) Vocabantur simul in subsi-

sidium

deriis satisfeciisse. Vide inprimis *Henr. Brinck*, in de Godslasteringen van D. Bekker p. **7. a. item, in ejusdem Ongenoegsame Satisfactie gedaan door D. Bekker. præf. ad Lect. p. 4. Adde *Jac. Koelmanni* Vergift van de Carteſiaansche Philosophie, præf. ad Lect. ubi refert, Bekkerum dixisse inter alia: *Broeders, hoe gelieft u lieden, dat ik het schrijve, en verandere.*

(25) Conqueritur de illegitimo Synodi processu *Bekkerus*, in Epistol. apologet. contra Maresi. p. 40 ubi ita: *Mihi studiosè & obnixè roganti, Ven. Synodus Frisica nunquam vel per ænigma indicavit, quænam illæ essent expressiones in libro meo, quas improbaret. - Suprema utrinque auctoritas & potestas, me imbellem & solum, nec reluctantem, sed ultro succumbere paratum, nonnisi mediocriter tantum collectis undiquaque viribus & machinis, reprimere voluit, non opprimere.* Confer ejusdem præf. ad Mundum Fascin. edit. Belgicæ, p. ** 2.

dium responsa Facultatum & judicia Theologorum Franekeranorum, Harderovicensium, & Ultrajectinorum, Voëtii inprimis & Essenii, qui Catechesin Bekkerianam unanimiter damanabant. Aliorum verò Theologorum testimonia, quibus liber probabatur, v.gr. *Heidani*, *Altingii*, *Burmanni*, *Wittichii*, *Perizonii &c.* rejiciebantur, utpote à Viris Cartesianismi suspectis & partium studio deditis profecta. (26)

§. XIV. Dum hæc aguntur, Bekkerus typis committere incipit Apologiam quandam, historiam Catechismi sui paucis exhibentem, hoc titulo: *Naakt vertoog van de gelegentheden en oorsaken der veelvuldige Moeyelikheden, die d' Auteur van't Boek genaamd*, Vaste Spyse der Volmaakten *van tydt tot tydt heeft moeten uitstaan.* In hujus pag. 44. & 45. Maresio abusum auctoritatis suæ improbat, quâ nimis quam multi permoverentur, ut iis insultent, qui non omnia ejus placita probarent: interim in ipso Maresio ea facillimè ferant, probentque, quæ si aliûs essent Auctoris, maximè forent improbanda. Exemplum ejus rei adducebat Bekkerus ex eo, quod Maresius contra Athiam Judæum, in asserta crucifixione Messiæ, scripserat, Athiam editionem suam hebraicam librorum V. T. falso inscripsisse nomine Bibliorum, *cum tantum sint pars illorum*, ea-

(26) Vid. *Koelmannum* loc. num. 24. cit. Cap. I. §. 4. p. 5.

eaque inutilis, nec alio magis fere inserviens, quam Judæorum inexcusabilitati, si resecetur & rejiciatur potior & sanctior illorum pars, quæ ex libris N. T. exsurgit. Nondum dimidia Apologiæ hujus pars prælo liberata erat, cum Magistratûs auctoritas, excuso quarto folio, abrumpendum juberet libellum. Ista autem quatuor folia aliquot amicis communicaverat Bekkerus, unde factum, ut in Maresii manus pervenerint, qui se iis vehementer læsum existimavit, ut ejus in Bekkerum ira jam concitatior majus ebulliverit. Hinc quoq; factum, ut aperto tandem Marte in illum rueret, non modo in præfatione libelli sui A. 1672. Gröningæ in 8. editi, quem *Porismata Theologica ad Catechesin fœderati Belgii* inscripsit; verum etiam in tractatu suo brevi, *de afflicto statu studii theologici in fœderato Belgio:* item, in *annotationibus ad Systema*, & alibi passim. Audit hic Bekkerus Maresio: *Novitius Doctorculus tumens, Novator Carteſianus, Tenebrio, Lucifuga, Catechistes, Nasutus, Turbo, Atribiliarius, Filius Bicri, Sycophantiarum faber, Sacerdos τῆς διαβολῆς, Criticus scripturarius* (quo nomine per ludibrium & quasi opprobrium eos vocare solebat Maresius, qui à nugis scholasticorum terminorum abstrahentes, Scripturæ S. studio unicè operam navabant) imò *impudens nebulo.* Reum agit Bekkerum turbati studii Theologici & tantum non proditæ Patriæ, apostasiæ à Christianismo, & nescio, quid non bilis in eum evomit. Alii etiam Theologorum

in

in Belgio Bekkerum ob Commentarium hunc Catecheticum signanter notarunt, videlicet præter *H. Giffenium*, *Fridr. Spanhemius* in præfat. historiæ Jobi; *S. Omius*, in Theologia sua practica, & *Gr. Mees*, in libro, quem vocavit Hagarem servam, sub libera Sara: utroque vernaculo. Quibus tamen omnibus, Maresio cumprimis, graviter quidem, summâ tamen cum animi moderatione respondit Bekkerus noster in Epistola Apologetica ad Maresium perscripta, & cum aliis Epistolis Bekkeri & Maresii amœbæis Franekeræ A. 1673. in 4. sub titulo: *defensionis justæ & necessariæ* edita. Judicium Franekeranorum super Catechesin suam peculiari etiam scripto examinavit Bekkerus, hoc tit. edito: *Nodig Antwoord op 't Advijs der Professoren &c.*

§. XV. Illud adhuc notandum est, quid & quale demum fuerit, quod tantopere in hoc Bekkeri Catechismo notatum & exagitatum fuit ab Antagonistis ejus. Audiamus ipsum illorum Promachum, hunc in modum scribentem: (27) *Cœperunt DEI beneficio in his oris evigilare Reverendæ Synodi, & librum quempiam Catecheticum, lingua patria scriptum, ceu multis scatentem novitatibus & in illis destitutum præsidio Scripturarum, nec futurum ædificationi, si manibus populi teratur, jure suppressum auctoritate politica, &*

C 4 *por-*

(27) In Præfat. ad Porismata Catechetica, pag. ** 4. b. sqq.

porro supprimendum pronunciarunt. Isti tamen libro, ceu valde scripturario, quidam Novatores hederam perquam densam approbationum suarum suspenderant, propter Syncretismum in novitatibus procudendis & protrudendis, atque ex adagio, muli mutuò: *item:* similes habent labra lactucas. *Verum sententiæ synodales veru jugulante & approbantium encomia hyperbolica, & scriptum confoderunt. Ecquis enim Reformatus jure vel ex Catechismo, vel ad Catechismum Reformatum, nisi eum Exreformare, sive Excalvinificare, ut Jesuitæ* „ *quondam voluerit, pertendat: nullum fœdus* „ *Operum DEUM sanxisse cum Protoplastis* „ *in statu innocentiæ: nullam ipsis vitam spiri-* „ *tualem in Paradiso cœlesti promisisse; arborem* „ *vitæ illius melioris felicitatis in cœlo arrham &* „ *sacramentum non fuisse: eandem arborem vim* „ *habuisse physicam mortem arcendi, etiam post* „ *peccatum; imaginem DEI primario sitam fuisse* „ *in imperio protoplastis concesso in belluas, secun-* „ *dario demum in sanctitate & justitia; Patres* „ *credidisse promissionibus Legis, nos verò credere* „ *læto Evangelii nuncio; tale esse discrimen inter* „ *justificationem Veterum & nostram, quale inter* „ Borgen & Quytschelden, *ut Belgæ loquuntur;* „ *posse eidem homini committi munus utrumque,* „ *Magistratûs politici & Ministerii Ecclesiastici;* „ *Ecclesiæ Diaconatum non tam esse necessarium,* „ *quin eo carere possit; Decalogi præcepta ma-* „ *xima sui parte nonnisi externam obedientiam*

po-

postulasse, nec illis Christianos propriè teneri; optimum & vetustissimum Ecclesiæ regimen esse Hierarchicum per Episcopos, Archi-Episcopos, Metropolitanos & Patriarchas. &c. &c. Plures adhuc hisce opiniones heterodoxas in Catechesi Bekkeriana propositas adducit *Jac. Koelmannus*, (28) quæ huc redeunt: *Adamum corruptibilem esse creatum; eundem ad vitam perpetuo in Paradiso degendam esse conditum, nec cœlo opus habuisse aut meliori statu. Evam ignorasse qualitates naturales serpentis seductoris, adeoque existimasse eam naturaliter loqui. Judæos & Turcas verum DEUM colere, sed non legitimo modo. Majorem esse terræ partem nobis adhuc incognitam, quam cognitam; diem dominicam, quatenus prima septimanæ die celebratur, esse humanæ prorsus constitutionis, non divinæ. &c. &c.* Atque hæc potissimum illa sunt, quæ in Bekkeri Catechismo notabantur, tanquam ex Schola Cartesiana & Altingiana hausta, adeoque offensionis & periculi plena judicabantur. Sed abunde mentem suam noster declaravit, in Apologia illa vernaculo idiomate edita, nec non in Epistola Apologetica ad Maresium, p. 40. sqq. partim avertendo nonnulla falso sibi imputata, partim illa legitimè explicando, partim denique osten-

(28) In het Vergift der Cartesiaansche Philosophie Cap. I. §. 5. p. 5. sqq.

dendo, pervertisse Maresium in pluribus controversiæ statum, & præjudicio antiquitatis & auctoritatis prorsus esse excœcatum, (29) ut veritatem cernere nequeat. Defensionem etiam disci-

(29) Digna sunt verba *Bekkeri*, quæ exscribamus, ex Epist. Apolog. p. 23. 24. ubi ita: *Ubi Novatoribus est respondendum, vix quidquam afferunt præter decreta Ecclesiastica, politica, Magistratus, Synodos, Presbyteria, Antiquitatem, Theologorum plurium consensum, Proscriptiones, hoc est, Indicem quasi expurgatorium librorum prohibitorum. Hæc scilicet sunt argumenta, quibus illi, nova si quæ videntur dogmata, cum refellere nequeant, operosè repellunt. Atqui omnes rejicimus auctoritatem, non quod papistica, sed quod humana illa sit, perinde ac nostra. Alias semper adhuc sub judice lis esset, utra prævalere debeat auctoritas, dum de veritate ipsorum dogmatum, quæ sola auctoritatis causa est, adhuc disputatur. -- Deinde nec Novitas officere quidquam potest veritati, si verum est, ut est, quod dixit Salvator, officium Theologi Christiani conferens cum Patrefamilias, qui profert ex thesauro suo καινά τε καὶ παλαιά*, Matth. XIII. 52. *Neque enim veri quidquam ullus unquam Doctor aliis prior attulit, quod novum non esset, cum proferretur: jam postquam idem alii plures amplexi sunt, incipit veterascere. -- Seponatur ergo omne præjudicium, &*

sola

discipuli sui post Maresii obitum, qui A. 1673. d. 18 Maji contigit, in sese suscepit *Jac. Altingius*, in Epistola ad Bekkerum perscripta, & Leowardiæ A. 1673. 4. impressa, *de reconciliatione Maresiana*, qua dogmata ista Bekkeri ab insultibus Maresii vindicat, consensu gravissimorum Theologorum aliisque rationibus tuetur, & simul suum in controversia hac Bekkeriana datum Responsum Theologicum defendit.

§. XVI. Exitus tandem Controversiæ hujus sequens fuit: Re à Synodo ad Proceres delata, annitente per suos Maresio, res eo devenit, ut Bekkeri liber publico Ordinum decreto & campanarum sonitu adhibito sit prohibitus. In qua re illud adhuc memorandum, quod Affinis Bekkeri, Franciscus Fullenius, J. U. D, & tunc temporis Consul Franekeranus sententiam Ordinum Deputatorum jussus fuerit exequi, proscriptionem libri affigere, & adhibito campanarum pulsu promulgare. Bekkerus hac popularium suorum injuria motus, & pejora metuens, consultius existimabat ex Frisia sese subducere, & alibi, vel minimo pago, stationem ac quietem quærere. Agebat cum Altingio de statione Dammonæ, lo-

---

sola consulatur Scriptura. Nec tam in alios invehamur, quàm nos ipsos, ubi necesse est, cordatè defendamus. Dicat quisque liberè, quod sentit, dicat candidè; dissentientes ferat, non insectetur. &c.

loco inter Gröningam & Delfziliam obtinenda; sed dissvadebat Altingius, quod sic futurum esset, ut plane in ungves Maresianorum incideret, à quorum Magistro illi omne malum erat enatum. Quid ergo? abit Bekkerus consule Heydano & Burmanno in Hollandiam, & tandem miser impetrat, ut Franekera discederet, & insignem stationem urbicam cum pagana mutaret. Vocabatur A. 1674. *Lœnam*, pagum Hollandiæ ad Classem Amstelodamensem spectantem, à Gallis tamen in ferali ejus temporis bello fere devastatum: quam etiam vocationem lubenter amplectebatur, ut modo à persecutionibus Fratrum & popularium liberaretur.

§. XVII. Sed non multò post ad functionem Ecclesiasticam aliam A. 1676. legitimè vocabatur, in oppido *Weesp* haud procul Amstelodamo distante, subeundam. Hac cum defungeretur sedulo, quoties de Pastore aliquo vocando in Ministerio Ecclesiæ Amstelodamensis agebatur, toties *Laurentius Homma*, Ecclesiastes Amstelodamensis veteranus, orthodoxus accerrimus, mentionem faciebat Bekkeri, tanquam heterodoxi, ut illum à Ministerio urbico arceret, caveretque, ne in illud reciperetur. Immo cum An. 1677. *Hommius* & Collega ejus *le Maire* pacem stabilirent inter Ministros Ecclesiarum Amstelodamensium hactenus inter sese dissidentes, instinctu *Hommii* pace ista excludebantur *Wayenius* & *Bekkerus*, ille propter motus varios in Selandia, hic pro-

propter eosdem in Frisia excitatos, & omnis spes iisdem præscindebatur, ex pagis in stationes urbis hujus amplissimæ ascendendi. Nihilominus tamen, cum A. 1678. functio quædam ecclesiastica in urbe vacua esset, Bekkerus ad eandem à Senioribus Classis fuit commendatus, renitente Homma, & heterodoxias crimen Bekkero, ob dogmata in Catechesi sua proposita, imputante. Ut ergo famam & orthodoxiam suam vindicaret Bekkerus, collationem amicam, in præsentia testium aliquot instituendam, ab Hommio rogat, eandemque A. 1679. impetrat: qua aliquoties iterata, pax tandem d. 9. Octobr. inter dissentientes sub certis conditionibus inita & sic Bekkerus à suspicione hæreseos liberatus fuit. (30) Tandem Bekkerus Pastor Amstelodamensium eodem anno nominatur, eligitur, adprobatur; (31) qua de re cer-

(30) Historiam hujus collationis inter Hommam & Bekkerum, nec non pacis conditiones exhibet scriptum Bekkeri hoc titulo editum: *Omstandig Bericht van Balthasar Bekker, van sijne particuliere Onderhandelinge met D. Laur. Homma. &c.* Amstel. 1693. 4.

(31) Coccejanorum ope & instinctu, eo tempore jam prævalentium, Bekkerum ad munus hoc promotum fuisse existimat *Henr. Brinck* in de Godslastering van D. Bekker ** 7. a. qui addit, eum quasi Martyrem à Coccejanis fuisse habitum, qui ob veritatem multa mala, imò ipsum exilium sit perpessus.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0057
DFG

certior factus, cum eum accederent tres Ministri delegati, qui vocationem offerrent, die Dominica post meridiem verba facturus ad Ecclesiam Wesopensem textum eligebat ex Act. X. 19. *Ecce tres viri sunt, qui te quærunt.*

§. XVIII. Quadriennio postquam Amstelodami sedem fixerat noster, mentem iterum calamumque ad scribendum adplicuit. Equidem in pacificatione illa cum Laur. Homma promiserat, se nil quidquam posthac in materiis theologicis editurum, sine visitatione & prævia adprobatione Classis Amstelodamensis. Sed mortuo Hommio, quocum unicè conditiones illas pacis inierat, non amplius se promissioni suæ obligatum existimabat. Quare cum A. 1680. & in sequentibus Cometa ille insignis appareret, non modo in publicis concionibus populum monebat Bekkerus, nil quidquam extraordinarii Cometam portendere: (32) verum etiam peculiarem eam

(32) Si vera sunt, quæ refert *Jac. Koelmannus*, in het Vergift der Cartesiaansche Philosophie, p. 9. in ipsa Cœnæ S. administratione aliquando sententiam hanc suam proposuit Bekkerus: *Wanneer*, scribit, *in den Jaare 1680. en 1681. de groote Komeet verscheen, preekte hy niet alleen publijklijk, dat op Komeeten geen acht te neemen was, als of zy waren, jets voorbetekenende, of ter waarschouwinge gezonden: maar als hy 't Avondmaal uit-*

eam in rem disquisitionem de Cometarum præsagiis edidit, hôc titulo: *Onderſoek van de Betekeninge der Kometen; by gelegendheid van de gene die in die Jaren 1680. 81. en 82. geſchenen hebben.* Primùm editum fuit scriptum hoc Leovardiæ A. 1683. in 8. & altera vice aliquanto auctius Amstel. 1692. in 4. Absolvitur capitibus XXXII., quibus communem explodit hominum de Cometis sententiam, qui inter signa rerum futurarum illos reponere solent; sive in genere aliquid bonum & malum præsagire statuant; sive in specie pestem, famem, bella aut hominum insignium fata mortalibus iisdem significari sibi persvadeant; sive denique illas causas, aut nuda magnorum eventuum signa existiment. Cum enim signum quodvis vel natura sua, sicut cœlum vespere rubicundum, vel institutione, sicut Iris, illud serenam sequentis diei tempestatem, hæc terram aquis diluvii nunquam denuò submergendam, significet; Cometam natura sua nobis nihil significare posse dicit, cum illa nobis plane sit ignota. Sane silentio præteritis veterum differentibus de natura Cometarum opinionibus, neminem ausurum definire, an recentiorum hic

uitdeelde (ziet de profaanheid! ook daar moſt dat Carteſiaanſch gevoelen aan des Heeren Tafel geuitteet worden) zeide hy; men roept van tekenen, " *en men wil een Komeet tot een teken ſtellen &c.* " *Ziet hier een recht teken &c.*

hic aut ille præ cæteris eam habuerit exploratam? Immo neminem gloriari posse sibi de colore, figura, & motu Cometæ, harumque affectionum diversitate & causis certò satis constare; si verò non constet, earum cum eventibus, qui illis tribuuntur, connexionem ostendi haud posse. Nec ab Astrologia peti posse cometicis prædictionibus auxilium; quippe cujus principia & fundamenta, ex recentiorum Mathematicorum hypothesibus, erroris & falsitatis luculenter convincantur, tanquam ab hominibus rerum cœlestium non satis peritis conficta. Experientiam quidem objicere vulgi superstitionem, sed nosse doctos, fallacem esse secundum Hippocratem experientiam, insignemque exemplorum copiam requirere; at rariores existere, quam ut experientia regulas de iis construere possit, Cometas. Si quis ad ea, quæ in libris Veterum occurrunt, hic provocet, ei meritò occinendum, nimis quoque ipsos hac in parte fuisse credulos, dum vel plures descripserint, quàm comparuerunt, vel illis sine ulla ratione secutos eventus tribuerint. Quatuor autem potissimum esse præsumit, quæ non possint non iis, qui è Cometis futura prædicere satagunt, figere crucem. Primò enim eos negare non posse, multas hujusmodi stellas comparuisse, quas magni eventus consecuti fuerint nulli; multa verò contigisse non comparente prius Cometa. Deinde, cui potissimum possit minari Cometa, cum unam pro-

provinciam, alterâ salvâ, malis hujusmodi, quæ significare creditur, premi videamus? Quale porro malum fuerit, cum in uno loco pestem, famem in altero, bellum in alio fortè Cometam sequi videamus? Denique argumentum ducit Auctor à silentio Scripturæ, quæ sæpè quidem stellarum, nunquam verò earum, quas appellamus Cometas, meminerit, nedum ut eos tanquam rerum futurarum signa nobis commendet. (33) Hæc Bekkeri mens est in libello isto proposita & ab aliis etiam postmodum adoptata. (34) Notarunt

D

(33) Prolixiora libelli hujus excerpta dabit *P. Rabus* im Boeckzaal van Europe A. 1692. p. 34. sqq. Adde *Acta Erud. Lipsi.* Tom. II. Supplem. p. 428. sq. & *Andr. Caroli*, Memorab. Eccles. Tom. II. Part. 2. p. 609. sq.

(34) Triplex inprimis de Cometarum significatu inter Eruditos est sententia. *Prima* communior est eorum, qui omnino Cometas res prorsus extraordinarias causari, aut ex intentione DEI significare statuunt; de qua infiniti extant tractatus, occasione Cometarum A. 1662. 1680. & 1681. visorum, *Danhaueri*, *Strauchii*, *Weigelii*, *Bartholini*, *Seuberi*, *Bornmeisteri*, *Mulleri*, *Honoldi*, *Büthneri*, aliorumque. Quam sententiam ut facilitaret *D. Mich. Braun*, Consiliarius Durlacensis, An. 1682. recudi fecit libellum, quem XVII. annis ante primum ediderat, inscriptum:

tarunt tamen hanc ejus sententiam *Henr. Brinck*, *Jac.*

ptum: *Cometæ malus genius*, sive dissertatio singularis, quâ ad excitanda Eruditorum ingenia disquiritur, annon Cometæ per malos genios regantur: quæ quæstio in affirmativam deciditur partem. *Altera* eorum est, qui plane inficiantur Cometas aliquid aut præsagire, aut causari. In hac opinione fuere *Erastus*, *Dudithius*, *Scaliger Peirerius*, *Grynæus*, *Phil. Müllerus*, *Ricciolus* & *Gassendus*, quorum judicia An. 1665. collegit *Jo. Andr. Bosius*, tract. de significatu Cometarum. Et quamvis multis profanum esse visum fuerit huic sententiæ adhærere, non dubitarunt tamen illam amplecti pientissimi Theologi *Just. Christ. Schomerus*, nec non *Jo Saubertus* in Op. Posthum. p. 161. sqq. Novissimè pluribus quoque eandem sententiam defendit *Petrus Bayle* dans ses Pensées diverses sur la Comete, aliquoties editis, de quibus vide Unsch. Nachr. A. 1705. p. 331. & 341. aliosque Ephemeridum scriptores. *Tertia* demum sententia illorum est, qui media via incedunt, & Cometas esse quidem iræ divinæ præcones contendunt, uti alia id genus, v. gr. sæva tonitrua, aquarum inundationes, ventorum tempestatumq; violentiæ &c., sed particulatim nihil significare. Quam sententiam fusissimè pertractavit *D. Jo. Olearius*, Disp. Lipsi. 1681. edita, sub titulo: Mantice Cometica. Conf. *D. Jo. Fechtius*

Jac. Koelmannus & *Anonymus* quidam (35) variis censuris, quas tamen tanti non æstimavit Bekkerus, ut illas responsione dignaretur.

§. XIX. Plura adhuc alia sunt, quæ circa hæc tempora publicavit scripta Bekkerus, utpote

tius in Schediasm. Sacr. Diss. II. §. 16. sqq. & in Collegio Privatissimo super *Königii* Theol. Posit. Loc. de Creatione, ubi inter alia ita fatur: *Is, qui negat Cometas ex instituto divino in cœlo ideo poni, ut aliquid præsignificent, non illico dici debet contemnere hæc stupenda phænomena, & pro nihilo ducere. Ut omnes creaturæ DEI & miseriæ nostræ nobis agnitionem indicant, præcipuè verò excessus illi naturæ, sæva tonitrua, aquarum inundationes, ventorum tempestatumque violentia & alia id genus ipso adspectu horrenda monstra nos admonent DEUM esse, qui hæc stupenda efficiat, quique naturam ipsam in pœnam nostram, ni convertamur, armare & expedire possit: ita plane de Cometis judicandum est, quæ sunt quidam quasi cœli excessus, & naturæ portenta ipso visu horrenda; quo tamen non efficitur immediatos illos esse pœnitentiæ præcones.*

(35) In libello, cujus titulus: *Missive aen D. Bekker*, in 't korte ontdekkende de gronden van sijn Mis-grepen begaen in sijn drie Tractaten, de Betooverde Weereld, over den Propheten Daniel, en van de Cometen &c. Hagæ Comit.

Epistolam ad Amicum ἀνονύμως editam, qua *Fridr. Spanhemii* Epistolam, de novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis, percensuit, & Cartesio-Coccejanam causam defendit. Sic & publicavit: *die Leere der Gereformeerde Kerken, van die vrye Nederlanden, begrepen in derselven Geloofsbelydenissen.* (36) Item *Kort begrip van Kerkelike Historien;* quæ Epitome addita est supplementi loco Historiæ Ecclesiasticæ *Georgii Hornii*, Lugd. Batav. 1687. 8. editæ. Item Commentarium in Prophetam Danielem, *Vitleggінge van den Propheet Daniel*, A. 1688. in 4. cui licet varia dogmata singularia insperserit, (37) nihil tamen, quod mirum, sententiæ suæ de operatione Dæmonum ingessit, utut occasionem nactus sufficientem. Ista verò omnia parum aut nihil turbarum ei excitarunt, usque dum Mundum suum Fascinatum ederet: cujus tamen historiam, ut & reliqua vitæ Bekkerianæ, ne modum jam excedamus, futuræ cuidam reservamus observationi.

Obser-

mit. 1692. 4. Accessit eodem anno: *Tweede Missive aen D. Bekker over sijn Betooverde Weereld, Daniel, en den 2den Druk van de Cometen in 4.*

(36) Vid. Das Allgem. Lexicon, in Append. p. 4.

(37) Quæ offendere poterant in Commentario isto, notavit scriptor ille anonymus, in notis ad num. 35. adductus.

OBSERVATIO III.

IDEAM ERUDITI MODESTI SISTENS.

BREVIARIUM.

Definitio modestiæ ejusque synonyma, §. 1. *Varia modestiæ elogia*, §. 2. *Subjectum modestiæ explicatur, & additâ causâ ostenditur, omnes homines modestiam colere debere*, §. 3. *Eruditis inprimis modestia commendatur*, §. 4. *Materia, circà quam modestia Eruditorum versatur, primò sunt mores*, §. 5. *Modestiam dictorum & affectuum, cum semper, tum inprimis in disputationibus ab Eruditis esse observandam*, §. 6. *Modestia gestuum etiam ab Eruditis tenenda*, §. 7. *Nec non in vestitu*, §. 8. *Quâ modestiâ instructus alios accedere in conversationibus debeat Eruditus*, § 9. *Modesto Erudito consilium datur, ne in congressibus, exclusis aliis, solus loquatur*, §. 10. *Item ne in conversationibus quendam, de rebus gravioribus loqui volentem, ad inutilia deducat colloquia*, § 11. *Modestus Eruditus in congressibus, detrahendi causa, de absentibus vel mortuis loqui, comparationesque*

odiosas instituere non debet, §. 12. Eruditi modesti suum cuique pulchrum esse sinant, §. 13. Modestus literatus continuum contradicendi studium fugiat, §. 14. Nec de se ipsô magna prædicet, §. 15. Immodesti, de rebus suis & ingenii fœtibus nimium sentientes, vituperantur, §. 16. Neq; tamen modestus literatus nimis abjectè de se sentiat, §. 17. Modesti est aliorum quoque consilia expetere, §. 18. Immodestiæ nota illis, qui, spretis consiliis, ingeniis laboribusque alienis, sua tantum opera admirantur, inuritur. §. 19. Regula, quam modestus Eruditus, ad honorem forte aliquem evectus, observare tenetur, §. 20. Cupiditatem nimiam honorum, & violentam munerum acquisitionem à modesto Erudito abesse debere ostenditur; ille etiam, cui præter meritum alii præferuntur in dignitatibus, informatur. §. 21. Modestia inprimis à studiorum Doctoribus, Professoribus & Magistris exigitur, §. 22. Quomodo modestia possit acquiri, docetur, §. 23. Invectiva in Pansophos, §. 24.

§. I.

MOdestiam Eruditorum expositurus ante omnia, in ipsâ statim Observationis fronte, intimare placet, qualē hic intelligamus mo-

modestiam. Notandum ergo, nos non tam illam explicaturos modestiam, quæ vulgo definitur *virtus, mediocritatem servans in parvis honoribus, nobis debitis, eô modô expetendis, quô oportet:* quàm eam inprimis, quæ est *externa quædam eaque elegans morum compositio.* Hæc apud Græcos antiquiores nuncupata est κοσμιότης, ut apud *Isocratem* & *Aristophanem* habetur: hinc que *Aristoteles* hominem modestum vocat κόσμιον, Lib. Physiogn. cap. III. Et *Plato* Lib. I. Polit. κόσμιον dicit, qui moderatus & moribus est compositis. Latini etiam commodè per vocem *Decori* virtutem hanc designant, quod tamen decorum non mores solùm, sed & alias quoque hominum actiones format. Galli eam exprimunt voce *Bienseance.* Vernaculâ nostrâ diceres: die Manierlichkeit der Sitten; item den Wohlstand.

§. II. Dignitas modestiæ præclara prorsus est, incredibilisque ejus usus; & hinc variô etiam variorum elogiô decorata reperitur. *Menander* eam laudat ut ταμεῖον τῆς ἀρετῆς, *cellam penuariam virtutis. Euripides* δώρημα θεῶν κάλλιστον, *pulcherrimum Deorum donum* eam nuncupat. *Hornbeckius* Summ. Controvers. p. 47. *præcipuum juventutis ornamentum* modestiam dicit, quâ vel solâ deficiente studia oneri magis sint, quàm honori. Celeberrimus autem Academiæ Kil. Prof. *Christophorus Henricus Amthor* in Collegio suo, quô Decorum Anno 1708. explicavit, *ultimum condimentum & supplementum virtutis* modestiam morum appellat.

§. III. Cùm igitur virtus hæc tanti sit momenti, omnes omninò homines summâ ope eo anniti decet, ne veluti bestiæ morales in morum turpitudine vitam suam transigant, sed ut potius modestiæ ornamentis conspicui evadant. Nec profectò facilè quis virtute hac nudatus beatè vivere potest, qui internam suam felicitatem, animi nempè tranquillitatem, imperturbatam conservare vult: Homo namque modestiâ exutus facilè aliorum contemtum ob fœdam morum immodestiam incurrit, illis etiam, quibuscum commercium ei intercedit, tædium & molestias creat. Videns autem illud ipsum, tranquillitate statim animi privatur; dolet namque, φιλαυτία ductus, quòd immodestiæ nomine suspectus sit factus, existimationemque suam perdiderit.

§. IV. Si verò ulli, Erudito certè cumprimis incumbit modestiæ studium. Licet enim homines vilioris conditionis, ut opifices & alii ejus farinæ, parùm modestos sese quandoque exhibeant, non tamen æquè lyncei sumus in videndis ac observandis horum vitiis. Ast si Eruditus aliquis, ut Studiosus, vel etiam ipse Professor aliquis immodestiæ maculis se aspergat, tunc gravis censoriæ severitatis nota, ab illiteratis etiam, ipsi inuritur. Unde modo laudatus Dominus *Amthor*, in Programmate invitatorio ad Collegium über das Recht der manierlichen Sitten / Kilon. 1708. 4. edito, p. 2. verè scribit: Es ist leyder bekañt / daß bey heutigen Umbständen die

die Gelehrte sich an theils Orthen im Stande einer zimlichen Erniederung befinden / und bißweilen wol gar von ungelehrter Leute Gnade leben müssen. Wie nun nichts natürlicher ist / als daß der Geringere die Gunst des Vornehmen zu erwerben suche: so ist wol ausgemacht / daß eine kluge Gefälligkeit in gleichgültigen Dingen hiezu die nachdrücklichsten Mittel zur Hand gebe / und folglich den Gelehrten ja so gesund / als den Ungelehrten sey. Ja ich bin versichert / daß eben die nachläßige Beobachtung des Wohlstandes die wahre Ursache sey / wodurch theils Gelehrte sich bey Hof-Leuten und sonsten in so üblen Glauben gesetzet / daß fast bey allen Lust-Verkleidungen ein armer Doctor oder Schul-Meister herhalten muß. ꝛc. Idem vult *Joh. Clericus*, quare Tom. I. Parrhasian. ad quæstionem: qui fiat, quod literæ hodie non adeò ac olim æstimentur? respondet, quia illorum mores, qui his sacris operantur, inhumani sint & stomachosi.

§. V. Pergimus jam ad materiam, circà quam modestia Eruditorum versatur: hæc autem est varia. Sic ejus objectum sunt *Mores*. Eruditorum namque præcipua ferè cura esse debet, ut mores ipsorum aliquam teneant modestiam & elegantiam, ne veritas illius dicti in dubium vocetur:

- - - Didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Et certè, nemo Eruditorum modestiam morum facilè neglexerit, si perpenderit, mores dissolutos & agrestes dedecori & impedimento esse agentibus, aliis verò valde molestos. Experti hoc sunt suô damnô varii omnium temporum Docti, quorum catalogum ordine alphabetico texuit *M. Frider. Ern. Scholtze*, Diss. de Eruditis sine moribus Lipsi. 1705. edita. Unicum his addere liceat Eruditi recentioris, decorum in moribus negligentis, exemplum. Est hic *Henr. Sickius*, Bremensis, Hebrææ Lingvæ Professor Cantabrigensis, qui nuper demum A. 1712. Cantabrigiæ cingulo proprio gulam sibimetipsi, ex animi mœrore, fregit. Audiamus *Auctorem* der Neuen Bibl. Tom. 3. p. 266. qui ita: Man muß ihm nachrühmen / daß er in Morgenländischen Sprachen fast seines gleichen nicht gehabt. Herr Hadrian Reland / hat ihme sein Arabisches zu dancken. Auch ist Herr Küster nicht in Abrede / welcher nebst Siecken die Bibliothecam Librorum novorum zu Utrecht geschrieben / daß er vieles von ihm erlernet. Nur ware es schade / daß er aus Armuth sich dem Toback-Schmauchen / und einem gantz sordiden Leben ergeben; welches zuwegen gebracht / daß er seine Fortun lange nicht gefunden / biß ihn der Englische Graf von Huntington zu Utrecht kennen lernen. Denn nachdeme dieser Herr sich fürgesetzet nach Constantinopel zu reisen; um allda die Orientalische und Arabische Sprachen zu excoliren / hat er jemand

jemand gesucht / der ihm in seinem Fürhaben könte behülfflich seyn. Die Professores haben ihme so gleich diesen Siecken recommendiret / welchen er zu sich kommen lassen / und ihn zwar geehrt / aber dermassen beschaffen gefunden / daß er ihn vor untüchtig gehalten / sein Compagnon zu seyn. Der Lord kunte den Toback nicht vertragen; hatte auch keinen geringen Eckel / eine solche schmierige Creatur um und bey sich zu sehen. Weilen er aber inzwischen niemand fande / der zu einem solchen Werck tüchtiger / als resolvirte er sich / Siecken anzunehmen / dafern sich dieser entschliessen wolte / den Toback zu quittiren. Welches er aber schlechterdings abschluge / und lieber bey seiner geliebten Gewohnheit verharren / als die einmahl erwehlte Lebens-Art verändern wolte. Wannenhero der Graf ihm auch dieses Begehren accordiret; nur daß er sich bedunge / es solte sich sein Reisegefährte besser kleiden / und sich von ihme / wañ er rauchte / etwas entfernen. Das erste kunte nicht bewerckstelliget werden / biß ihme der Lord eine gute Summa Geldes zahlen liesse / daß er sich erstlich von seinen Schulden befreyen / und dann eine bessere Equipage anschaffen kunte. Alsdañ wurde er überall / wo der Graf sich auffhielte / in einen Winckel des Pallasts versteckt / damit er weder seinen Herrn incommodiren / noch auch andern Frembden einen Eckel erwecken möchte. ꝛc.

§. VI.

§. VI. Deinde in *Dictis* quoque Eruditus modestiam observare tenetur, ne forte dicat quod alteri displiceat. Alter namque, graviter & iniquo animo sermones immodestos perferens, illam linguæ petulantiam retundere potest illis *Sallustii* verbis, quibus in Oratione quadam Ciceronem alloquitur: *quoniam in te neque modum, neq; modestiam ullam animadverto, respondebo tibi, uti, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam malè audiendo amittas.* Ad rem prorsus facit quod suppeditat consilium *Morhofius*, Polyhist. Tom. I. L. 1. cap. 18. §. 33. *Nihil dici, nihil fieri debet, ex quo offendatur, quisquis ille sit, cum quo conversationem quærimus. Id verò artis est, ut modestâ quadam & circumspecta colloquendi ratione animum tuis moribus adversum paulatim inclines - - Si cum ambitioso & superbo homine tibi res est, acerbis reprehensionibus in furorem conjicies, sed molliore sermonis circumductione paulatim ejus animum compones.* Inprimis autem *in disputando* Eruditi verborum modestiâ amabiles se reddere & cavere debent, ne mordaci, sed placidâ sedatâque dictione utantur: cùm satis notum sit, convitiantes in disputando animos modò suos invicem opprobriis vulnerare, veritatemque utplurimum immò valetudinem aliquando & vitam perdere. Sic *Azo*, JCtus ille, fervore disputandi abreptus, cultrô in alium contradicentem irruit, eique lethale vulnus inflixit: & *Agricola*, Medicus, disputando in

in febrem ardentem incidit, ut refert *Heuniſchius* in Theſauro Diſp. p. 11. Contra verò ab hoc peſſimi animi charactere magnus ille *Chemnitius* tantopere abhorruit, ut in publicis etiam contra adverſarios diſputationibus nunquam voluerit verborum decertare acerbitate, ſed placidè ſemper momenta rerum conſiderarit, teſte *Theoph. Spizelio*, in Templo Honoris reſerato, p. 5. Non ſolùm autem dicta acerbiora, ſed etiam nimiorum affectuum æſtum modeſtiâ ſuâ coërcere in diſputationibus debent Eruditi. Ducem hic ſequi poſſunt *Wolffgangum Frantzium*, cui modò citatus *Spizelius* in Templ. Honor. reſerato, p. 105. has tribuit laudes: *medios inter diſputationum calores tantum adhibere ſolebat moderamen, quod cunctis Diſputatoribus in ſingularis exempli vicem meretur commendari.* *Sennertum* etiam laudat *Slevogtius*, quod tam placidus fuerit Diſputator, ut nihil cum bile, nihil cum ſtomacho unquam dixerit. Eſt hæc affectuum modeſtia obſervanda, etiamſi cum inimiciſſimis diſceptent Eruditi, memoresque eos eſſe oportet ſententiæ *Ciceronis*, inquientis: *rectum eſt, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiamſi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, jucundiam repellere.* Lib. I. Off. Legi meretur circa hoc argumentum integra *Gregorii Nazianzeni*, de moderatione in diſputationibus Oratio. Sed & in eo modeſtia diſputationes Eruditorum moderatur, ne alter alterum incondito clamore interpellat,

terpellat, sed ut potius Musicos imitemur svadet, qui pausas ritè observant, ne rauca totius harmoniæ fiat confusio. Præcavet etiam eadem modestia morositatem in disputando & vice versâ facilitatem commendat, ut alter alteri libenter cedamus & acquiescamus. Benè ob modestiam hanc de *Stahlio* judicat *Joh. Andr. Schmidius*, Disq. de variis disputandi processibus, p. 3. ubi de eo prædicat, quod veritati lubens manus dederit, nec magnam rem esse duxerit, ultimam retinuisse responsionem. Conferatur, qui virtutem hanc Studiosis graviter inculcat, *Sam. Werenfels*, de Logomach. Eruditorum, Cap. X. §. 2. p. 258. Denique Eruditus modestus in disputando etiam scurrilitatem fugit, nec mimum agit, aut inconditum movet risum, sed seria seriò agit. Optandum modò esset, ut nunquam tristis ista audiretur exclamatio, quam profert *Slevogtius*, de ἀκρισία maledici disputatoris, p. m. 18. scribens: *Proh rem indignam! histrionicam publicè ac gratuitâ insaniâ exercetis, omnem ridendi occasionem captantes; nec satis memores, risu inepto nihil esse ineptius.*

§. VII. Porrò Eruditi *Gestuum* quoque modestiâ uti, hosque nec superbos, nec ridiculos atque ineptos affectare debent. Jam antiquitùs C. Julius Cæsar indicavit, modestiam gestuum in Eruditis requiri. Curtius Orator etenim, quando Orationem habuit, totô corpore ab uno in alterum latus vacillavit, non secus ac si

in

in lintre stetisset; cum igitur ipsum Cæsar aliquando perorantem vidisset, hôc festivô jocô gestuum inconcinnitatem ipsi exprobravit: *quis loqueretur è lintre?* referente *Cicer.* de claris Oratoribus. De Socrate pariter memorat *Laërtius* in Vitis, L. 2. Segm. 21. p. 92. quod sæpè inter loquendum, exigente id orationis vehementia, talitrum ferire atque crines vellere solitus fuerit, ita ut plerisque rideretur. Taceo Rudolph. Agricolam, qui in conviviis cogitabundus, mensæ innitens, ungves utplurimum demordere solebat, ut habet *Melch. Adami*, Vit. Philosoph. p. 18.

§. VIII. Accedimus nunc modestiam *Vestitus*, hancque Erudito summè necessariam esse dicimus; inprimis hôc tempore, quô nemo ferè tam vilis atque abjectus est, qui non judicium de vestitu aliorum ferre audeat. Medium igitur servet Eruditus in vestitu suo, hicque nec nimis splendidus, nec nimis sordidus sit. Vituperandus certè est Eruditus histrioniam exercens vestiariam: nec tamen laudandus sordidâ nimis veste indutus incedens. Immò Eruditus hac vestium honestarum negligentiâ sese risui modò aliorum exponit, juxta illud *Horatii* Lib. I. Satyr. 3.

Rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit, & malè laxus
In pede calceus hæret.

Qua-

Quale fatum meritô suô experti fuere *Caspar Barthius*, *Jo. Bapt. Bartolus*, *Hieron. Cardanus*, *Franciscus Petrarcha*, *Jason de Mayno* aliive, decorum in vestitu negligentes. Utut verò illiberalem hunc vestium squalorem Eruditus fugere debeat, non tamen ipsum decet exquisitâ nimis munditia uti. *Turpe namq; est sapienti, cum animum habeat, laudes captare ex corpore*, ut inquit Julianus apud *Marcellinum* Lib. 25. omnisque Eruditus memor sit illius triti:

In vestimentis non est sapientia mentis.

§. IX. Quia etiam nemo ferè Eruditorum reperitur, qui non aliquâ conversationis cupiditate trahatur; hinc non possumus, quin nunc dicamus, quanam modestiâ ornatus alios accedere debeat Eruditus. Et generatim quidem omnibus illis operam navare debet elegantiis, quibus gratum se & acceptum in conversatione cum doctis reddere potest. Quo faciunt regulæ morum & conversandi, quas recentiori ætate in systema aliquod redegit celeberrimus ille Galliæ Abbas, *Monsieur de Bellegarde*, variis opusculis editis, v. gr. *Reflexions sur ce, qui peut plaire, ou deplaire dans le commerce du monde. Modeles de conversation pour les personnes polies. Reflexions sur le ridicule & sur le moyens de l'eviter. Reflexions sur la politesse des moeurs. &c.* Faciunt huc pariter prima Homilitices eruditæ lineamenta, quæ in vasto suo Polyhistoris opere du-

duxit ὁ πάνυ *Morhofius*, quæve officia conversandi generalia Eruditorum complectuntur. Denique hic consuli possunt regulæ decori, quas conversantibus præscripsit *Gottlieb Schelgvigius* V. Cl. Disp. Gedani A. 1710. editâ.

§. X. Speciatim verò caveat ante omnia Eruditus, ne in congressibus ambitiosâ quadam garrulitate ductus, sibi soli, exclusis aliis, loquendi partes vindicet, & nullius præterea sermonem admittat. Continua namque hæc garrulitas indicat hominem ejusmodi loquacem maximam sibi soli tribuere sapientiam, & alios non dignos judicare, quorum sermones audiat. Ut plurimum autem evenit, ut æs ejusmodi Dodonæum perpetuò tinniens ignominiam tandem reportet. Exempli loco esse potest *Angelus Angelotius*, Italus doctus, qui merito graculi titulô oneratur, quod nulla omninò vicissitudine in sermone communi cum reliquis usus sit. Vide *Erythræum*, Pinacoth. I. p. 289. sq. Simile quid de *Jo. Camerone* refert *Ph. Cominæus*, in vita ejus. Lege pluribus de hoc vitio differentem *Joh. Willh. Engelbrecht*, Prof. Helmst. Programmate A. 1704. edito, de odiosis morum characteribus in vita communi vitandis.

§. XI. Modestiam Eruditorum vix illi quoque in conversationibus tuentur, qui equidem aliorum sermones admittunt, interim tamen eos de rebus gravioribus colloqui volentes ad discursum de rebus inutilibus deducunt. Festivè pariter

ac falsè aliquando vitium hoc perstrinxit *Joh. Lockius*, de quo ex *Barbeyraci* tractatu de ludis sequentia refert Autor des neuen Bücher-Saals/ Tom. I. Part. I. p. 27. Es waren einige vornehme Herren bey Mylord Achley zusammen kommen/ und suchten durch die Carten die müßigen Stunden zu verderben. Lockius sahe ihnen eine zeitlang zu/ doch endlich ergrieff er die Schreib-Taffel/ und schrieb etwas mit sonderbahrer Sorgfalt auff. Als er nun deswegen von einem gefragt wurde/ antwortete er: Mein Herr/ ich wil/ so viel ich kan/ mir ihre Compagnie zu Nutz machen. Denn nachdem ich bißhero mit Ungedult die Ehre erwartet/ mit so weisen Leuten umbzugehen/ und jetzo dieselbe erhalten/ so habe ich vor gut befunden/ ihre Unterredung auffzuschreiben/ und habe auch würcklich auffgemercket/ was in ein paar Stunden ist geredet worden. Worüber diese Herren schamroth worden/ die Carten weglegten/ und den Rest des Tages mit einem klugen Gespräche zubrachten.

§. XII. Non minus modestia requirit, ne Eruditus in congressibus detrahendi causa de absentibus loquatur; *de absentibus namque & mortuis nonnisi benè loquendum.* Singulare fuit Lacedæmoniorum præceptum: τὸν τε τελευτηκότα μὴ κακολόγει, ἀλλὰ μακάριζε, *demortuum non maledictis afficias, sed beatum prædices*, apud *Camerar.* Hor. subcis. Cent. I. p. 45. Ad hæc homo, famam absentis arrodens, indicat animum se ge-

gerere maximè flagitiosum, hincque Eruditus modestiæ laudem affectans sedulò hoc detractionis vitium fugere debet; cujus conspicuum aliàs documentum dedit *Joh. Ciampolus, Florentinus*, de quo *Erythræus*, Pinacoth. II. p. 65. sqq. refert, eundem mortuis quoque & tot seculorum plausu æstimatis viris acerbè insultasse. Præterea omnes, quæ fiunt viventium ad viventes aut nuper defunctos, comparationes fugiendæ sunt; solent enim odium afferre comparantibus, iram sæpè concitare, aliquando periculum arcessere, præsertim si pertinaciter aut etiam contemtim factæ videantur. Non certè aliam ob causam Clytus ab Alexandro, se Philippo Patri præferente, transfixus est, quàm ob factam odiosam comparationem. Ob oculos hinc modestus literatus sibi ponat verba Epicteti, quæ reperiuntur cap. 41. Enchirid. μάλιστα δὲ μὴ περὶ ἀνθρώπων φέγοντες, ἢ ἐπαινοῦντες, ἢ συγκρίνοντες. *Maximè autem ne homines vituperemus, vel laudemus, vel comparemus caveatur.* Nescio etiam, an modestiæ laus illis Eruditorum sit tribuenda, qui comparationem inter domestica & exotica instituentes, illa extollunt, hæc verò plus justo semper deprimunt; quo de instituto quid habendum sit, pluribus vide *Boeclerum*, Oratione de fatis literarum nostri temporis, quæ notis ejusdem in Vellej. Paterculi Lib. I. cap. 17. est inserta.

§. XIII. In conversationibus modestia Eruditi in eo quoque sese exerere debet, ne ab alio

audiens, quid aut aliis temporibus factum legerit, aut fieri adhuc viderit, perinde agat, ac si totam sapientiæ suæ opinionem periclitari putet, nisi aliquid invenerit ac protulerit, quod in aliorum inventis ac moribus vertat vitio. Suum cuique pulchrum esse sinat Eruditus modestiam diligens, inprimis si stultâ quadam pertinaciâ alter rerum suarum pulchritudinem defendat: Sapientes enim ambigunt, uter sit stultior imprudentiorque, isne, qui stultè dicit, an qui stultè dicentem seriò refutat? Caveat etiam Eruditus, cui modestia cordi curæque est, ne in colloquiis illud αὐτὸς ἔφα sibi tribuens irascatur, si quidquam contra suam dicatur opinionem. Hæc certè stultorum est conditio. Si vis irritare fatuum, dicas tantum aliquid, quod contrarietur ejus opinioni, & statim exardescet. Putat namque opiniones suas tales & tales, imò optimas esse, & hinc, si rejiciantur ab alio, irascitur. Hanc, inquam, pertinaciam modestus literatus aversari debet, & si fortè opinionibus suis de recto deflexit, modestiæ signum erit, si errores agnoverit, meliusque sentientibus se adjunxerit, cum scribente *Seneca Lib. 4. de Benef. c. 38. non sit levitas à cognito errore discedere, & ingenuè fatendum sit: aliud putavi, deceptus sum. Hæc verò superbæ stultitiæ perseverantia sit, quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque sit.* Illos autem, qui desiderant, ut res quæpiam accipiatur propterea, quia ipsi ita sentiunt, *Augustinum* au-

audire jubemus, inquientem: *nolo auctoritatem meam sequaris, ut ideo tibi putes esse aliquid credendum, quoniam à me dicitur.* Epist. 112. Quæ verba Augustinus protulit, agnoscens se hominem esse, ignorantiæ & erroris periculo subjectum.

§. XIV. Amplius Vir literatus modestus pessimum illud omnibus promiscuè & omni tempore contradicendi studium quàm longissimè abs se abesse curat; probè persvasus, illos, qui spiritu hoc contradictionis reguntur, justum bonorum quorumvis odium incurrere, tranquillitate animi excidere, nec non fortunæ suæ obicem ponere gravissimum. Et certè molestissimi sunt in conversatione politica homines ejusmodi contentiosi & animalia disputacia, ac pædantismi notam vix effugiunt. Respuit enim conversatio omnes, qui ingenio sunt inquieto, & digladiationis literariæ avido, in deliciis verò habet homines modestos, obsequiosos, quos *commodos* vulgo dicunt. Damnavit ergo justè hanc in *Dionysio Petavio* disputacitatem *Gvido Patinus* in Epist. 2. Et de summo alias *Scaligero* non dubitat affirmare *Vossius* de idolol. Gent. L. 3. c. 80. eundem heroicas plane ingenii doctrinæque dotes pruritu isto contradicendi obfuscasse. Adde, quæ de *Antonio Arnaldo* ejusque animo pugnaci affert *Clericus*, in Epistol. Criticis & Eccles. Tom. 3. Art. Crit. p. 311.

§. XV. Præcipit quoque modestia, ne Eru-

ditus se ipso magna prædicet. Observare namque unusquisque tenetur illud Salomonis: *laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Prov. XXVII. v. 2. Cum quo adagio consentit Chria *Themistii* apud Stob. Serm. 62. οὐδὲν ἔτως ἄνοσμον φορτικὸν, ὡς τὸ καθ' αὑτὸ ἔπαινος. h. e. *nulla narratio tam odiosa est, quàm sui ipsius encomium.* Huc & illud accedit, quod laudis propriæ finis non admodum sit præclarus. *Plutarchus* namque, in libro περὶ τῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως i.e quomodo se ipsum quis citra invidiam laudare possit, inquit: ὅτι τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις ἀλλότριος ἕπεται ψόγος. ἀεὶ, καὶ γίνεται τέλος ἀδοξία τῆς κενοδοξίας *quod laudem propriam alienum semper sequatur vituperium, hujusque gloriæ inanis finis sit ignominia*, uti hæc vertit *Thomas Naogeorgus.* Inprimis illi sacra modestiæ jura violant, qui discipulis suis auditoribusque persvadere annituntur, se solos monopolium scientiarum à Superis obtinuisse, eruditionemque suam esse palladium aliquod, quô per mortem sublatô tota Respublica literaria sit interitura. Sed illis meritò ob oculos essent ponenda verba *Prudentii:*

Desine grande loqui, frangit DEUS omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cavere
ante pedes foveam, quisque sublime minaris.

Si

Si autem nostrâ medicinâ hôc immodestiæ superbiæque morbô laborantes uti vellent, mederi studeremus huic vitio, quô somniant se omnem jam devorasse sapientiam, illo Ludovici XII. Galliarum Regis apophthegmate: *ne visis templorum pinnis, iter te exsecutum dicas* apud *Chytræum*, in Ludov. XII. facetè dictis, p. 178.

§. XVI. Pertinent huc etiam illi, qui de rebus suis & ingenii fœtibus suprà, quàm convenit, sentiunt. Hôc vitiô laborantes, *Lutherus* noster acriter perstringit, inquiens: Fühlest du dich und lässest dir dünken/ du habest es gewiß/ kützelst dich mit deinem eignen Büchlein/ Lehren oder Schreiben/ als habest du es sehr köstlich gemacht/ und trefflich geprediget/ gefällst dir auch sehr/ daß man dich für andern lobe/ wilst auch vielleicht gelobet seyn/ sonst würdest du trauren und ablassen. Bist du der Haas/ lieber/ so greiffe dir selber an deine Ohren/ uud greiffest du recht/ so wirst du finden/ ein schön paar rechter grosser langer Esels-Ohren/ so wage folgends die Kost daran/ und schmücke sie mit güldenen Schellen/ auffdaß/ wo du gehest/ man dich hören könne/ mit Fingern auff dich weisen/ und sagen: Sehet/ sehet/ da gehet das feine Thier/ das so köstliche Bücher schreiben und trefflich wol prèdigen kan. Alsdenn bist du seelig und überseelig im Himmelreich/ ja/ da dem Teuffel und seinen Engeln das höllische Feuer zubereitet ist. Summa: Lasset uns hochmüthig

seyn / und Ehre suchen / da wir mögen / u. s. w. T. I. Altenb. fol. 7. Ipsa Antiquitas modestiæ hujus Magistra esse voluit. Poëtæ namque antiquitus finxere Perseum habuisse Gorgonem vel clypeum, quô alios verterit in saxa: ipsi autem prohibitum fuisse, ne adspiceret suum clypeum, h. e. ne admiraretur suam potentiam & vires; hocque ipso prudenter admonere voluerunt, ne quis rebus suis superbiat & insolescat. Modestiam hanc parum observarunt Abbas *Cagnolus*, de quo *Erythræus* Pinothec. I. p. 22. legendus: nec non *D. Joh. Ker*, Anglus. Hic namque nimium blanditus sibi est partu libri sui, quem inscripsit: *Observationes de Lingva Latina*. Apparet illud ipsum ex dedicatione, quâ Reginam Angliæ compellans, non minimam felicitatis illius Regiæ partem esse dicit, quod liber iste Ipsâ imperante in lucem sit editus. Verba ejus ita sonant: *Annæ Reginæ consiliis, auspiciis, rebus gestis Europa, Africa &c. personant. Scire eos interim quid vetat, quod omnium interesse, ut sciant, brevi patebit, quodque in eo bonorum censu, ex quibus modò constat rara tua felicitas, adeò non infimum locum meretur, ut in variis sit tui, propriusque Principatus eventis censendum; in eo natum esse editumque conceptum, non unius ingenii, non unius seculi &c.* Conf. Act. Erud. Germ. IV. Th. p. 338. & 339.

§. XVII. Non tamen ex adverso literatus modestus adeò abjectè de se sentit, ut semetipsum ubi-

ubique contemnat, & existimationem suam flocci faciens, sibimetipsi aliquid detrahat. Memor namque est illius *Catonis:*

Nec te laudaris, nec te culpaveris ipse,
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Scilicet vanæ occultæque jactantiæ suspicionem incurrit, qui sese plus justo deprimit, nimia enim sui extenuatio est laudis affectatio; sicque puellis comparandus est, quæ speciosa atque fallaci humilitate pulcherrimam formam pretiosaq; corporis ornamenta dicunt vilissima, ut saltem plus laudis & admirationis lucrentur. Hujusmodi fuisse videtur *Thom. Gattakeri* dissimulatio, qui nullis amicorum precibus permoveri potuit, ut effigiem suam pateretur exprimi, aut monumentū sibi poni post mortem, ut refert *Saldenus* de Libris, L. I. c. 2. p. 58. Illi verò parum existimationi suæ consulunt, qui in moratiorum consortio, scurrarum potius quàm modestorum personas sustinentes, omnes quotquot unquam actus turpes, impudicos obscœnosque patrarunt, aliis publicè & sine rubore revelant. Sic de *Dominico Baudio* notum est, eundem vel ipsum de scorto suo gloriatum quandoque fuisse, epistola ad Hugonem Grotium perscripta, quæ extat Cent. III. Epist. 92. Licet verò gloriæ capiendæ causa id faciant, ut habeantur homines non Pædantæ, sed ad genium seculi compositi, *Galants hommes*, propriam tamen turpitudinem confitentes autoritati & famæ suæ mirum in modum nocent.

§. XVIII. Præclarum etiam singularis modestiæ argumentum illud est, si Eruditus symbolum Antonini Pii: *consulendum & consilio parendum*, suum faciens, non omnia suâ solùm sententiâ gerat, sed aliorum quoque consiliis utatur. Nec certè Eruditus facilè aliorum consilium negligere debet. *Homo namque de suæ unius sententia omnia gerens, superbus magis, quàm sapiens judicandus est*, sicut graviter & rectè dixit *Livius* Lib. IV. Dec. Observare potius tenetur modestus literatus illud dictum Plauti in milite: *nemo solus sapit*. Cum quo consentit illud, quod Creon apud Euripidem in Phœniss. inquit: Εἷς ἀνὴρ ὁ πάντ' ὄρα. *Unus vir non videt omnia*. Et cum hæc ita se habeant, hinc Eruditus non solâ sapientiâ suâ, quam sibi imaginatur, omnia gerere debet, sed aliorum quoque adhibere consilium, quia consultatio talis suâ utilitate non caret, juxtà Epigramma illud:

Consiliô quicunque suô sapit, haud sapit ille,
Consiliô alterius qui sapit, ille sapit.

Modestiâ hac insignis fuit *Ambrosius*. Hic namque plus videre oculos, quàm oculum perpendens, aliorum consilia in rebus suis non aspernatus est, sed vel ipsa scripta sua subjecit judicio alterius, & pro maximo duxit beneficio, si quando ab alio esset admonitus, consiliôque quodam sublevatus. Hinc ipse ad Sabinum Episcopum

pum Placentinum (quem voluit suarum scriptionum esse cognitorem & arbitrum, præsertim illarum, quæ majoris essent ponderis) scribere non dubitavit sequentia: *facile est tibi de rebus nostris judicare - - Unumquemque sua scripta fallunt, & aurem prætereunt, atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam Scriptorem indecori sermones sui palpant.* Et paulo post: *ego*, inquit, *beneficio adnumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi, quo videatur moveri; primò quia & in iis, quæ scio, falli possum, multa etiam prætereunt, multa quibusdam aliter sonant, pulchrum est, si fieri potest, cavere omnia.* Vide ejus Epist. LXIII. ad Sabinum. Conf. *Spizelii* Vet. Acad. JEsu Chr. p. 133. & 134. Honorificam quoq; Clarissimi *Cellarii* mentionem hic injicere placet. Hic pariter modestiâ singulari commotus non de sua unicè sententia omnia gessit, sed sæpè vel in rebus non admodum gravibus aliorum usus est consilio. Adponamus hac occasione historiam, quæ extat in Actis Erudit. Germ. Part. III. p. 231. Man möchte zur Bescheidenheit des Herrn Cellarii wol auch dasjenige rechnen / was der bekañte Crenius in Holland offt ordentlich zu erzehlen pflegt / wenn es anders Grund hat / daß nemlich Cellarius dereinst an ihn einen besondern Brieff geschrieben / und sich seines Raths erholet / ob man über die Ablativos in a & o imgleichen über solche Adverbia Hütgen zu setzen habe: Da ihm denn Crenius geantwortet /

antwortet/ er wundere sich/ daß ein so berühmter Mann dergleichen Fragen thun könne/ doch weil er einmahl Unterricht verlange/ so sey solches allerdings nöthig/ und besitze er/ Crenius, ein Buch/ so vormahls Bongarsio gehöret/ und ohne solche Häckgen gedruckt gewesen/ darinen sich aber Bongarsius die Mühe genommen/ dieselbe über alle Wörter/ worauff sie gehöret/ zu zeichnen.

§. XIX. Quemadmodum jam insignis modestiæ laus illis non est deneganda, qui aliorum quoque desiderant consilia; ita contra illi maximè sunt vituperandi, qui non solùm aliorum consilia accipere recusant & erubescunt, sed etiam omnia contemnunt ab aliis profecta, nihil rectum putantes, nisi quod ipsi fecerint. Teterrima certè hæc Eruditorum est immodestia, si aliorum res famamque extenuent, se ipsos autem modò extollere cupiant. Et helleboro opus est Erudito illi, qui *Pompeji* symbolum immodestô ore circumfert: Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. *Semper ego cupio præcellere & esse supremus.* Lepida sane est Colomesii de *Claudio Salmasio* narratio: *Gaulminum* aliquando ad ipsum & *Maussacum* dixisse: *puto nos tres omnibus, qui in Europa vivunt, Eruditis paria facturos*; ad quæ Salmasius responderit: *Vos duo jungite vobis quidquid in universo orbe terrarum Eruditorum reperitur, ego me solum omnibus opponere non dubito.* Doctior sine dubio Salmasius fu-

futurus erat, nisi tam immodestus. Summo certè immodestiæ hujus vitio laboravit etiam magnus ille *Angelus Politianus:* alieni namque ingenii sedulus obtrectator fuit, referente *Daniele Heinsio*, in Præf. ad Hug. Grotium, præmissâ Poëmatibus Græcis. Alia autem mens fuit celebri *Josepho Scaligero*. Hic non facilè aliena opera dente acerbô arrosit, sed ubi aliquem ingenii fœtum vidit laude dignum, se non continuit, quin laudibus debitis eum ornaret. Sic, cum aliquando Poëma aliquod à Daniele Heinsio scriptum vidisset, tantô gaudio perfusus est vir maximus, ut totum prope mensem de nulla re alia, quàm de carmine hoc, amicis ad se venientibus narrarit, referente eodem Heinsio locô modò adductô. Ad hujus similitudinem omnes modesti literati accedunt, & res alienas quoque admirantur, si admiratione sint dignæ: ast immodesti & invidi homines semper de rebus alienis malè judicant, & cum aliena assequi non possint, satis esse putant, si deprimant.

§. XX. Eruditis ad honorem forte aliquem evectis modestia hanc præscribit regulam, ne honoribus suis elati sodales veteres, Præceptores, vel ipsos etiam Parentes contemnant. Exemplum sequi possunt Auli Vitellii, qui, licet ipsum Imperatoriæ dignitatis culmen conscenderat, turpe tamen aut indignum non putabat, si aliquem ex sodalibus veteribus agnoscere videretur. Immò sæpius eorum mentionem faciebat, eos-

eosque in honore habebat teste *Dione* in Vitellio §. I. Inprimis caveat Eruditus ad honorem evectus, ne immodestô quodam superciliô Præceptorem suum, quô olim usus est, despiciat, sed memor sit illius Plinii: *benignum & plenum ingenui pudoris est, fateri, per quos profeceris.* Præf. ad Hist. natur. Imitetur in hoc *Wilhelmum Lyserum*, qui Doctorē suum *Joh. Gerhardum* eô affecit honore, ut scribere non dubitaverit: *Wilh. Lyserus, quidquid est in Theologia, si quid est, quod tamen parum est, Gerhardo post DEUM præcipuè acceptum refert.* Dolendum verò est, multos Eruditorum adeò hic peccare, ut honoribus inflati Præceptores suos contemnant, qui tunc verba *Textoris* sua facere coguntur, quibus Epistolâ CXX. utitur, inquiens: *multi ex officina & umbraculis meis prodierunt, qui me nunc nihilo pluris æstimant, quàm porcarium, aut mulionem abjectissimum.* Audacissimâ autem manu illi modestiam violant, qui ad honores evecti, Parentes suos humiles contemnunt, aut etiam abnegant, non perpendentes, melius esse, ut Parentes glorientur in liberis, quàm liberi in Parentibus. Transiliit has modestiæ leges impius ille *Rousseau*, Anno 1712. mense Majo ob flagitia quædam Galliâ expulsus, cujus vitæ curriculum describitur in Actis Erud. Germ. VI. Theil / p. 469. Nos tantum pauca ad scopum nostrum pertinentia huc adponemus ex Actis hisce: Man beschreibet diesen Rousseau sonst als einen

einen gar geschickten Poeten / aber schlimmen und bösen Mann / der von GOtt und Göttlichen Dingen nichts glaube / aller seiner Freunde und Beförderer spotte / und sie / wenn es ihm einfalle / vor der Welt zu schanden zu machen suche / und in dem überhaupt keine auffrichtige und ehrbahre Ader sey: Wie ihm denn unter andern vorgeworffen wird / daß er seinen Vater / der ein Schuster gewesen / boßhaffter Weise verleugnet. Denn als dereinst eine Comœdie von seiner Arbeit gespielet worden / sey der Vater hineingegangen / und ungeachtet ihm Rousseau, der sich eine Zeitlang anders genennet / vorher schon übel begegnet / habe er sich doch inniglich erfreuet / daß sein Sohn mit demselben Stück grosse Ehre eingeleget / und daher sich nicht enthalten können / den Umbstehenden zu sagen / daß er des Verfassers Vater sey. Als er auch nach geendigter Comœdie den Sohn angetroffen / habe er ihm sehr beweglich zugeredet / und mit den den Worten beschlossen: Endlich / ich bin eur Vater! worauff Rousseau nichts mehr geantwortet / als: Ihr mein Vater! und sey also davon gelauffen / habe auch hernach nichts mehr von ihm hören wollen. Melius autem modestiæ hujus leges observarunt alii Eruditorum, citati à *Ge. Henr. Goezio* in Specimine Catechismi Historialis, p. 14. sqq. ubi etiam exempla illorum adducit, qui Præceptorum in se merita gratô animô recolucrunt.

§. XXI.

§. XXI. In eo denique etiam consistit modestia Eruditi, ne honorum nimis sit cupidus inprimis magnorum, neve muneribus modô violentô se obtrudat. Notamus hic iterum ea, quæ *Lutherus* de istis, qui DEO curam non committentes violentô modô viâque injustâ munus intrare cupiunt, scripsit: Hieher gehören diejenigen / welche ihnen selbst bewust sind / daß sie grosse Kunst bey sich tragen / und haltens vor eine treffliche Gefährlichkeit / wenn sie andre nicht lehren / geben für / sie begraben den Centner in die Erde / der ihnen befohlen ist / und meynen / sie müssen ein schweres Urtheil des HErrn / mit jenen faulen Knechten gewärtig seyn. Mit so lächerlichen Lügen betrügt der Teuffel derselben Leute Gedancken und Phantasie, welche wissen solten / daß wie die nichts sind / die da lehren / und daß nicht unser Wort zu lehren und zu predigen sey / sondern daß unser Mund seinem Wort allein diene / wenn ers haben wil / und uns dazu beruffen wird. Derohalben harre du nur auch / biß du geruffen wirst / indeß siehe nicht nach einem Predigt-Ampt / dringe dich nicht ein / denn deine Kunst wird dir nicht den Bauch zerreissen / wenn du deine Dienste der Kirchen offerirt / und alle media in acht genommen / so laß das übrige GOTT verantworten. Tom. III. Witteb. f. 186. Sic in appetendis honoribus summè modestus fuit *Augustinus*, non solùm enim officio Episcopali se non obtrusit, sed

sed etiam, privatus existens, cavit ingredi eas civitates, in quibus nosset cathedram vacare. Summa modestiæ hujus laude insignis etiam fuit *Sethus Calvisius*. Non enim splendidos affectavit honores, sed contentus fuit exili & honestâ vitæ conditione. Ita namque de eo scribit *Spizelius*, in Templo Honoris relato, p. 325. *operam Viri hujus diversæ Academiæ & Respublicæ expetierunt. Wittebergensis Academia Professionem ei Mathematum obtulit. Francofurtana similiter uti ipsius operâ voluit. Urbes aliæ honestis stipendiis Calvisium (eruditionis pariter ac virtutis omnigenæ sectatorem) ad se invitarunt. Sed maluit Lipsiæ in statione humili, attamen honesta & tolerabili, consenescere, quam alibi titulos & honores consectari splendidiores.* Quæritur verò: *Quid faciendum sit modesto Erudito, si fatum hoc experiatur, ut alii præter meritum ei præferantur?* Dicendum est, æquo illud ferendum esse animo, inprimis si nihil eorum neglexerit, quæ ad sui commendationem facere poterant. Solatium ei dabit conscientiæ propriæ aliorumque, de meritis suis, bonum testimonium, & tranquillare animum suum poterit trito illo: *Bene qui latuit, bene vixit.* Simul etiam ansa ei dabitur occultas summi Numinis mirandi vias, quibus à rebus mundanis & subtili arrogantiâ eundem abstrahere, & ad interiorem sui cognitionem majoremque in DEUM fiduciam deducere satagit. Hoc si perpendisset *Barlæus*, in illam non inci-

 disset

disset insaniam, ut ob prælatum sibi Spanhemium semetipsum in puteo suffocasset, referente *Sorbierio* Epist. 64.

§. XXII. Utut verò omnes Eruditi modestiam colere debeant; inprimis tamen Doctores studiorum, Professores atque Magistros hac virtute excellere necesse est, juxta illud *l. 7. C. de Profess. & Medicis: Magistros studiorum Doctoresque excellere oportet, moribus primum, deinde facundia.* Et id quidem Studiosorum causâ, ut nimirum hi ad similitudinem illorum mores suos componere discant; ne fortè, si Docentes ipsorum malè excultis instructi sint moribus, ipsi quoque temporis successu morum vitio inficiantur. Hoc est, quod Cl. *Amthorius* insinuat, locô supra §. 4. citatô, p. 5. scribens: **Befliessen sich alle Lehrer ihres seits nur selber einer wolanständigen Aufführung in ihren äuserlichen Handlungen / so würden auch theils Schüler von anderer Gattung / und nicht dem Sprichwort unterworffen seyn: *à bove majori discit arare minor.* Man würde nicht unter der studirenden Jugend hie und da so viel unanständige Sitten finden / dadurch mancher / weil er noch auff Universitäten lebt sich in Händel und Verdruß / hernach aber gar umb seine zeitliche Wolfahrt bringen kan.** Et quidni Studiosi Professorum mores exemplar sibi esse sinerent, ad quod se ipsos moresque suos conforment, cùm, juxtà Celeb. *Thomasii* principium, homo naturaliter eum

cum ad imitandum sibi proponat, quem pro Excellentissimo in ordine suo habet.

§. XXIII. Modestia facili negotiô ab Eruditis acquiri potest, dummodo conversatione modestorum hominum utantur. Eleganter liquidem dixit *Seneca: Ut eos, qui in sole ambulant, colorari necessum est; ita qui prudentum* (modestorum) *consvetudine delectatur, eâque utitur, non potest non etiam prudentia* (modestia) *imbui.* Proderit quoque conversatio cum aulicis & peregrinatoribus modestiæ studioso ad mores suos expoliendos. Aula siquidem homines politos & compositos amat; peregrinatores verò varios moratiorum populorum mores sunt experti: quare qui cum his conversantur, non possunt, quin fiant civiliores. Tandem etiam honesta & ab omni libidine prava aliena cum sequiori sexu conversatio modestiam morumque elegantiam aliquô modô instillabit animis Studiosorum: hæc igitur penitus rejici non debet. Cauti enim morum moderatores sunt fœminæ, quas casta mens, arguti sermones, decorique gestus commendant; adeò, ut Davum esse oporteat, qui non ex repetita cum iisdem conversatione mores suos formaverit elegantiores. E contra vix illi Eruditorum modestiâ insignes evadent, qui inter libros se semper abdentes, omni conversationi modestorum hominum sese subtrahunt. Unde modò laudatus Dn. *Author* in Collegio suo de Decoro, postquam de morum inconcin-

nitate paulo ante verba feciſſet, ſubjicit: So gehets / wenn man einzig und allein bey den Büchern verwildert / und nicht auch andere Geſellſchafft bißweilen beſuchet / ſondern ſich vorſetzlich aus pedantiſcher Hoffart davon ſepariert. ꝛc. Exemplum *Ant. Flamminii*, medium hoc negligentis, vide apud *Pierium Valerianum*, de Lit. infel. L. 1. p. 23.

§. XXIV. Poſſet hæc virtutum cunctarum baſis ac fundamentum, modeſtia ſcilicet, multis adhuc verbis commendatitiis celebrari; verùm nos ſuperſedebimus jam labore laudes ejus ampliſſimas decantandi, cum inſtitutum noſtrum exiguis circumſcriptum ſit regionibus. Ad illos tamen nos adhuc convertimus, qui Panſophia inſtructos ſeſe ſomniant, eorumque immodeſtiam his modò retundimus verbis:

Pauci multa ſciunt, multi nihil, omnia nemo.

Sed attollant ſpicæ, granis vacuæ, capita ſua: ariſtarum gravium plenarumque proprium eſt incurvari. Putent utres inflati ſe omnia ſcire: Eruditi modeſtia inſtructi ſymbolum magni Heinſii ſuum faciunt: *Quantum eſt, quod necimus!*

Ob-

OBSERVATIO IV.

Catalogus Codicum rariſſimorum Bibliothecæ Mediceæ,

è Manuſcripto

LUCÆ HOLSTENII, V. Cl.

SYNOPSIS.

§. 1. Brevis Bibliothecæ Florentinæ hiſtoria traditur. §. 2. Codicem Pandectarum in illa non extare monſtratur: qui tamen ex Mabillonio delineatur. §. 3. De Catalogis Manuſcriptorum Bibliothecæ Mediceæ, Henr. Ernſti. §. 4. Antonii Poſſevini, Wilhelmi Langii, & aliorum. §. 5. Holſtenii Catalogus ἀνέκδοτος & commendatur & exhibetur.

§. I.

UNam è præſtantiſſimis Italiæ Bibliothecis eſſe eam, quæ Florentiæ ad D. Laurentii velut Minervæ templum patet, extra omnem controverſiam eſt poſitum. Fundaverat eandem olim *Laurentius de Medices*, à quo etiam *Medicea*, & à loco, in quo aſſervatur, *Laurentiana* dicta fuit. Illata in eandem per Joh. Andr. Laſcarem, Græciæ exulem, fuêre optima Græciæ Manuſcripta & alia antiquitatis monumenta, ne ſtatuis quidem Platonis exceptis,

quibus Academia ejus quondam superbiverat. Contulere postmodum ad augendum hunc thesaurum sua symbola *Picus Mirandulanus* & *Angelus Politianus*, ambo Viri Italiæ doctissimi. Sed quæ Bibliothecarum solent esse fata, eadem & hæc Florentina experta est. Scilicet inter seditiones domesticas per Catharinam Mediceam in Galliam avecta, ibidemque in Bibliothecam Regiam, curante Thuano, translata fuit maxima Codicum rarissimorum pars, ut refert idem *Thuanus* de vita sua Lib. I. Confer *Conringium*, Epist. ad Boineburg. de Bibliotheca Augusta, p. m. 171. conlect. Maderianæ. Collapsam sic Bibliothecam iterum restauravit Serenissima Medicea domus, literarum patrona incomparabilis: imprimis verò Cosmus II. magnus Hetruriæ Dux, tantis eandem auxit dotibus, ut illam velut oraculum consulere, si quid MSCtorum antiquitatis conferendum est, necessum habeant Italiæ Eruditi. Multa etiam præclara scripta inde in lucem hactenus exierunt: multo plura adhuc è Gazophylacio hoc expectanda sunt, cujus olim curam gessit, Vir erga peregrinantes humanissimus, *Antonius Magliabechius*, quem *cor Musarum Italicarum, sapientiæ & eruditionis penum* merito dixit *Wagenseilius*, in Epist. ad Fechtium de infundibulo, p. 15.

§ II. Inter Cimelia Bibliothecæ hujus rarissimum Pandectarum Codicem, quem Florentinum vulgo dicunt, asservari auctor post alios est

Cl.

Cl. Struvius, Introd. in not. rei lit. p. 115. Sed, quod pace ejus dixerim, fallitur: siquidem, unanimi peregrinantium consensu constat, eundem non in Bibliothecæ loco, sed in palatio magni Ducis inter vasa ejus aurea & argentea extare. Neque etiam peregrinantium quisquam ad illum lustrandum admittitur, nisi qui expressa magni Ducis munitus est concessione. Operæ interim pretium erit, codicem hunc antiquissimum describere, qui, judice Ang. Politiano, ipsum est autographum, Justiniani auspiciis collectum. Faciemus hoc verbis *Joh. Mabillonii*, qui in Itinere Italico Tom. I. p. 184. ita fatur: *Pandectarum duo egregia Volumina cum Magliabeco examinavimus in palatio Magni Ducis. Hæc volumina formæ sunt prope quadratæ, ita ut altitudo duobus tantum digitis latitudinem superet. Operculum ex ligno villosum sericum rubei coloris, atque emblemata ex argento in medio & in quatuor angulis ornant. Characteres sunt quadrati & mediocris formæ; vocabula sine abbreviatione ubique, & absque commatis simul colligata. Quælibet pagella in duas dividitur columnas, quæ singulæ versus quadraginta quinque continent. Prima singulorum versuum vocabula passim minio descripta sunt. Litera S. plerumque in medio vocabulo cæteris major est.* Quô modô literæ formatæ sint, postmodum insinuat Mabillonius, & eam in rem specimen Alphabeti, quo exarata est scriptura, exhibet. Mox verò pergit: *Primo*

volumini præmittitur græca epistola Triboniani & aliorum, qui Pandectis componendis operam navarunt, data XVII. Kal. Januarias, Justiniano perpetuo Augusto III. Cos. *Postea sequitur index eorum, quæ in duobus voluminibus continentur, cum titulis minio scriptis. Primum volumen desinit in lib. XXIX. atque adeo secundum incipit à lib. XXX. In fine prioris post sex versus græcos, quibus Justiniani opus ac Triboniani commendatur, ab Angelo Politiano relatos, recenti manu Christophorus Landinus Secretarius subscribit, & post eum Marsilius Ficinus die IX. April. anni M. CCCC. XCIV. testatur se interfuisse, dum illud epigramma reperiretur. Tum subditur:* Petro Berardi de Berardis sedente Vexillifero justitiæ. Quapropter perspicuum judicamus, hoc volumen propriè fuisse ab ipso Justiniano compositum, neque solum transcriptum. *Porro hoc Pandectarum opus Amalphi Pisas, & Pisis Florentiam à Florentinis allatum est, quod olim nonnisi ad funalia ostendi, & quidem viris primariis, mos erat, teste Angelo Politiano, Miscell. p. 546. nunc indulgentia Principis hæc gratia facilius conceditur. Porro Pandectas masculino, non sequiori genere, Florentinos dici debere Antonius Augustinus probat, tum in Dialogo X. de Nummis antiquis, tum in Indice nominum propriorum, ubi de Pandectis.* Hæc Mabillonius. Tanti de cætero incomparabilem hunc Pandectarum Codicem æstimasse fertur *Jac. Cujacius*, ut multoties bismille aureos se depositurum

turum obtulerit, si per annum eo liceret uti. Id unum igitur ad explendum animum sibi defuisse, eoque in desiderio se moriturum testatus est, ut loco allegato habet *Thuanus*. Inprimi tamen Pandectas has literis quadratis curavit, *Franciscus Taurellus*, quod exemplar magni alias æstimatur.

§. III. Sed ad Bibliothecam Mediceam revertamur. Catalogum Manuscriptorum ejus Amstelod. A. 1641. in 8. primus publicavit *Henricus Ernstius*, Helmstadiensis, Academiæ Soranæ in Dania, dum viveret, eximium decus. Sed, ex pagellis cuilibet pluteo affixis sine privata Codicum inspectione compositum illum esse, jam observavit *Meibomius*, in addit. ad Vogleri Introduct. in not. libr. p. m. 155. Lepidum interim est, quod de *Antonio van der Linden* refert *Voglerus* l. c. Cap. VIII. p. 48. eundem hunc Ernstii Catalogum Bibliothecæ Mediceæ, insigni sphalmate literario, retulisse inter scriptores Bibliothecarum Medicarum, persvasus, quod librorum ad artem medicam spectantium, recensionem institueret.

§. IV. Magis mancus est MSCtorum Bibliothecæ hujus Catalogus, quem apparatui sacro adjecit *Antonius Possevinus*. Longè verò plenior & accuratior ille est, qui opera *Guilielmi Langii*, Professoris Hafnienſis concinnatus, & ex MSCto Bibliothecæ Gudianæ nuper editus fuit, *à Joh. Alb. Fabricio*, V. Cl. qui eundem novæ editioni Prodromi Historiæ Literariæ Lambeciani subjecit:

licet nudam tantum comprehendat MSCtorum Codicum & insignium quorundam impressorum librorum juxta LXXXVIII. pluteos recensionem. Varia etiam de Manuscriptis hujus Bibliothecæ rarioribus notant *Maximilianus Missonus*, & *Gilbertus Burnet*, Peregrinatores doctissimi, in Itineriis suis: ille p. m. 934. hic pag. 432. edit. germanicarum.

§. V. Hic præsens noster, quem exhibemus, Lucæ Holstenii Manuscriptorum Bibliothecæ Mediceæ Catalogus nondum hactenus, quod sciam, in lucem est editus. Ita enim de eo scribit *Cl. Struvius*, loco supra adducto: *Lucas Holstenius per aliquod tempus Florentiæ vixit, ibidemque Catalogum confecit MSCtorum rarissimorum, quem magna cura composuit, addito judicio de præstantia & raritate: quod verò inter MSCta ipsius adhuc latet, dignum, quod edatur.* Dignus & mihi visus fuit Catalogus, qui publici juris fieret, cum tantis Eruditorum votis hactenus sit expetitus, & reliquos illos memoratos longè post se relinquat: quamvis cum Catalogo Langiano utique sit conferendus, quia non omnes, ut ille, sed selectissimos tantum recenset Codices. Accipe ergo eundem L. B. serena fronte, primoque ejus editori bene precare!

LU-

LUCÆ HOLSTENII V. Cl.

De Libris optimis ac maximam partem ineditis Bibliothecæ Mediceæ ad Sereniss. Principem Leopoldum di Toscana Judicium, cum esset Florentiæ, A. 1640.

SCAM. IV. Arsenii, Archiepiscopi Monembasiæ collectio Proverbiorum & sententiarum ex diversis Auctoribus Græcis. fol.

Liber Auctoritatum SS. Patrum de processione Spiritus S. contra Græcos, divisus in XII. titulos. 4.

Synopsis seu Compendium Basilicon, quod Compendium Operum S. Basilii malè inscribitur; in membranis pervetustis, fol. Alia exemplaria extant Scam. 8.

SCAM. V. Nicolai, Archiepiscopi Cypri, Catena expositionum in Esaiam; opus præclarum, in quo multa extant fragmenta SS. Patrum, quorum opera interciderunt.

Catena in IV. Prophetas Majores, ex diversis SS. PP. opus plane admirandum ob antiquitatem & elegantiam. fol. maj.

Dictionarium Ecclesiasticum græcum, quô præcipuæ voces Biblicæ LXX. Interpretum explicantur: puto esse S. Cyrilli vel S. Maximi, antiqvum & optimum exemplar. 4.

Christodulus Monachus, sive Johannes Cantacuzenus adversus hæreses Palamæ: hâbetur aliud exemplar in Scam. 8.

Psal-

Psalmi cum expositione S. Athanasii hactenus non edita, Codex antiquus in membranis. 4.

SCAM. VI. Eusebii Cæsarienſis expositio in Psalmos nunquam edita, Codex antiquissimus in membranis. fol.

Expositio divinorum mandatorum, Opus collectum ex SS. PP. & distinctum in 63. libros in membran. fol. Extat aliud exemplar Scam. IX. ord. infer.

SCAM. VII. S. Gregorius Nyssenus in Inscriptiones Psalmorum, cui inter alia subjunguntur Anastasii Sinaitæ libri sive orationes III. de homine ad imaginem & similitudinem DEI condito, hactenus ineditæ. fol.

Gregorii Diaconi Metochitæ de pace inter Ecclesiam latinam & græcam inita, & cur eadem rursus diremta fuerit.

SCAM. VIII. inferius: Libri Job & Libri Salomonis distincti versibus, secundum rationem metricam textûs hebraici, & versionem LXX. In margine apponuntur diversæ aliorum Intepretum versiones; Codex antiquissimus, optimus, & inter primos totius Bibliothecæ numerandus, in 8.

Jo. Bocci P. CP. de unione utriusque Ecclesiæ. Ritus consecrandi Episcopos, & Liturgia sive Missa S. Gregorii M. græcè.

Nicephori Blemmidæ & Constantini Meliceniotæ Opera diversa pro Latinis contra schisma Græcorum. fol.

SCAM.

SCAM. IX. Codex n. 7. superius.

Liber Canonum cum expositione Theodori Balsamonis. Huic subjungitur Epiphanius cum continuatione usque ad Israëlitas. Item Caput unum de diversis Sectis Acephalorum, quo Historia Ecclesiastica illustrari posset.

Nicetæ Choniatæ Collectio diversarum opinionum & hæresium cum refutatione ex SS. Patribus: cujus pars aliqua latinè extat: magnum opus in fol. distinctum in Tomos XXVII. sed Auctor Schismaticus, & Latinos inter hæreticos ponit, & impotenti animo adversus eos debacchatur. Sed interim dum ille verbis Latinos oppugnat, ipsi Constantinopolin oppugnando expugnant. Itaquo Auctor in fine Operis subjungit historiam captæ à Latinis Constantinopolis. Eam partem operæ pretium esset edi ad eorum temporum historiam illustrandam.

G. Nili Operum Tomus unus in 4. in membranis, quæ lucem hactenus non viderunt.

Ibidem extat ingens Volumen in folio, cui item Nili nomen inscribitur: sed est historia Constantinopolitana Christoduli Monachi, sive Johannis Cantacuzeni, quæ latinè extat Ingolstadii, edita à P. Jac. Pontano, S. J.

Nicolai Methonensis Explicatio vel potius eversio elementorum Theologicorum Procli Philosophi, ne quis incautè in hæresin abducatur. Hoc opere examinantur dogmata Platonica ad amussim Theologiæ Christianæ; & latinam ejus

ejus interpretationem vidi in Bibliotheca Leidensi. fol.

Nicetæ Heracleensis expositio in Epistolas S. Pauli, præclarum Opus, fol. quadrato.

S. Joh. Chrysostomi Orationibus subjungitur Leonis Magistri Pro-consulis vel Patricii Compendium in VIII. priores Libros V. T. item Didymi & Alexandri Lycopolitæ, antiquissimorum Auctorum, libri contra Manichæos, & Jo. Methodii Opusculum contra Valentinianos de causa mali. Ex quibus Didymus latinè tantum editus extat in Apparatu sacro Possevini. Alexander Lycopolita nec græcè, nec latinè hactenus prodiit. Methodii Opusculum græcè edidit Jo. Meursius, quod ex Codice promanavit.

Incerti Auctoris Topographia Christiana. Codex est antiquissimus in membranis, sed variis locis mutilus. 4. Hujus Operis VIII. priores libros legit olim Photius Patriarcha, qui Christianum Octateuchum vocat, & de Auctore ipsoque opere liberè & verè judicat. Auctor hic Justini senioris temporibus puto vixit, & Orientalium Christianorum, de Mundi constitutione & figura, opinionem secutus, probare conatur hoc opere, mundum non habere figuram sphæricam, sed quadratam & oblongam. Maris superficiem esse planam, ex ea terram montis instar emergere: cœlum cameræ vel fornicis instar extremis mundi mœniis incumbere. Trans Oceanum, quo natura habitabilis cingitur, aliam esse terram cœlo con-

conterminam, & in hujus parte Orientali fuisse Paradisum, unde per diluvium mortales in hanc nostram terram translati fuêre. Fundus & fundamentum ineptæ opinionis est forma Arcæ à Moyse ad typum universi constructæ: neque quicquam tam absonum & absurdum est, quod non S. Scripturæ testimoniis confirmare conetur. Auctor prolixè tertio libro commemorat navigationes suas Indicas, variasque per remotissimas Orbis oras peregrinationes. Unde adducor, cum titulo *Cosmæ Monachi* nomen alicubi adscriptum observarim, ut hunc Cosmam Indicopleusten esse existimem. Extat alterum exemplar, & quidem longè vetustissimum, in Bibliotheca Vaticana, unde ea excerpsi, quæ ad Geographiæ illustrationem facere videntur, quæ tamen ex hoc Codice insigniter correxi & auxi.

Lexicon græcum maximè accuratè & eleganter scriptum. 4. Ibidem extat Codex in 4. cui titulum fecerunt: Nicephori sermones varii; cum tamen unam duntaxat ejus Orationem de regno contineat. Subjungitur Arrianus de rebus gestis Alexandri M. Procopius de ædificiis Justiniani: Alcinous: deinde opusculum incerti Auctoris ineditum adversus Plotinum de præexistentia & transmigratione animarum satis doctum & nervosum.

Hieroclis expositio in aureum carmen, exemplar omnium, quotquot vidi (vidi autem plura) longè correctissimum, ex quo editum exem-

exemplar quàm plurimis locis insigniter emendavi. Subjungitur in fine Origenis Philosophumena sive Philosophicarum rerum liber, qui est primus ejus operis, quod adversus omnes hæreses scripsit: Dividit Philosophos in IV. classes: Physicos, Ethicos, Dialecticos & Barbaros, h. e. Brachmanes & Druidas; singulorumque opiniones refert & refutat.

SCAM. X. Epistolæ S. Pauli cum variis expositionibus Theophylacti, Oecumenii & aliorum; sed Codex n. 5. ordine superiori insignis est ob argumenta & divisiones Epistolarum singularum, tum ob antiquitatem & elegantiam. Ibidem duo Nomocanones insignes. Codex I. & ultimus in superiori ordine, in quibus multa sunt non edita.

Olympiodori Expositio in Ecclesiasten, Codex egregius in fol.

SCAM. XI. Theodoreti Codices aliquot præstantissimi. Vitæ Sanctorum Acronii Metaphrastæ distinctæ juxta ordinem mensium. Volumen magnum in fol. de vitis SS. Patrum Eremitarum, quarum pleræque hactenus editæ non sunt, immò ne nominibus quidem notæ iis, qui in Sanctorum vitis colligendis desudarunt. Hujus operis editio grata & utilis foret Ecclesiæ: sunt enim pleræque vitæ scriptæ ab antiquis & probatis Auctoribus. Catalogum præfixi in fronte libri nec hic repetendum putavi.

Hæc

Hæc de libris Theologicis Græcis, quos sequuntur deinde Latini, in quibus nihil rarum ac singulare observavi: sunt enim vulgaria ac vulgata omnia, quorum multa habent Scholasticorum volumina, quæ dehonestamenta potius sunt Bibliothecæ.

SCAM. XXVIII. Inter Mathematicos Græcos præter duo antiquissima exemplaria Euclidis, & Hipparchum in Arati & Eudoxi Phœnomena à P. Victorio publicatum, notanda sunt:

Manethonis Poëtæ Ægyptii Apotelesmatica, carmine heroico scripta, ad nescio quem Ptolomæum Ægypti Regem, nisi Auctor antiquitatem mentitur, quod ex stylo & numero conjicere non levi suspicione mihi videor. Præmittitur Maximi, itidem Poëtæ Græci introductio. Hunc Codicem unicum supereſſe existimo, quod à nemine eorum commemoretur, qui Auctorum Indices conscripsêre. Exemplar minuto & difficili charactere scriptum est, ut exolescente & fugiente ob nimiam vetustatem atramento vix legi amplius possit.

Ptolomæi magna Constructio cum Commentariis Theonis & Pappi fol. magno. Codex omnium quotquot vidi Mathematicorum antiquissimus & pulcherrimus, ex quo editi exemplaris errores innumeri corrigi possent Theonis Smyrnæi Commentarius, de rebus apud Platonem mathematicis explicatione necessariis. Ejusdem Canones practici. Subjunguntur variæ tabulæ

Aſtronomicæ, Chronologicæ, in quibus extant Faſti Conſulares, ab Imp. Antonii Junioris uſque ad extinctam Conſulum dignitatem exactè ſcripti. Eos in principio Codicis Legum olim extitiſſe hic Auctor teſtatur. in 4. in charta bombycina.

Theonis expoſitio in Canones Ptolomæi in 4. in membranis. Codex antiquitate & elegantia ſpectabilis.

Hermæ Medici Mathematica in ꝛꝛqꝏꝏnis, in 4. quadrato.

Joh. Philoponi Aſtrolabium in 4. in membranis accuratè ſcriptum. Argennii Muſica, in fol. item Pſellus de Theologia Ægyptiaca: item de animæ generatione in Timæum Platonis: Ejusdem novæ narrationes. Hoc opuſculum multas ineptas & inſulſas de naturæ miraculis narrationes continet, in fol. Codex recentior.

Codex 2. ſuperius Ptolomæi Geographia græcè, cum tabulis accuratè depictis, fol.

SCAM. XXIX. Mathematici Latini. Junii Nipſi de limitibus agrorum, fol. antiquiſſimum exemplar.

Apuleji exemplar Longobardico charactere ſcriptum, in fol. 4. Chriſtophori Enſenii deſcriptio Cycladum aliarumque Inſularum, fol.

Incerti Auctoris deſcriptio Inſulæ Cretæ, cum deſignatione ſingulari locorum, fol. oblongo.

SCAM. XXXII. Poëtæ Græci. Codex 1. f. m. Homeri Ilias cum Paraphraſi Pſelli. 3. Codex Homeri Ilias cum Scholiis antiquis non editis, opti-

optimæ tamen notæ. Hunc Scholiasten eundem esse deprehendi cum eo, quem Salviati pro Cimelio asservant, nisi quod illi primis aliquot paginis diversarum Annotationum farrago adjuncta sit; quo assumento Codex Mediceus caret. Sane operæ pretium esset, exemplar hoc vetustate passim arrosum & exesum recenseri à Viro quodam docto, & componi cum Codice Salviatorum, & cum altero itidem vetusto, qui extat apud Marchionem Riciardum. Posset enim ex cunctis egregius Scholiorum cento contexi.

Sophoclis & Æschyli Tragœdiæ cum Scholiaste antiquo. Item Apollonii Rhodii Nautica cum Scholiis. Huic Codici nihil antiquitate comparandum. Eis Victorius usus est in Tragicis græcis recensendis. Apollonius etiam ex eodem primùm Florentiæ excusus fuit.

SCAM. XXXVI. Orphei & Procli hymni latinè soluta oratione expressi, quibus subjungitur Joh. Leonis Africani liber, de Viris illustribus, qui doctrinæ fama apud Arabes claruerunt. Describit XXII. Capitibus totidem illustrium Philosophorum aut Medicorum vitas. Dolendum est nos ea cognitione rerum Arabicarum destitui, cum ex hoc libello genius ejus gentis exactè percipiatur.

Virgilius majusculis literis scriptus in 4. quadrato, omnium Codicum hujus Bibliothecæ est antiquissimus, mille ducentorum circiter annorum, nam circa Valentis aut Theodosii tempora scriptum existimo.

SCAM. XLV. Duo habentur antiquissima exemplaria Servii in Virgilium, alterum Romano, ut Antiquarii vocant, alterum Longobardico charactere scriptum, fol.

Ibidem Donati Commentarii in Virgilium antiquissima, Longobardica scriptura. Ex his tribus Codicibus, item ex quarto, qui asservatur in Bibliotheca S. Crucis, accuratè possunt restitui antiqui illi & præstantissimi Commentatores Virgilii, & ab omnibus Monachorum assumentis repurgari, quod ex Parisiensi & Fuldensi exemplari conatus fuit P. Danielis.

Cæteros Latinorum Autorum Codices, qui sequentibus aliquot Scamnis habentur, recensere nihil attinet, cum omnia jam sint vulgata. In his tamen præcipuæ antiquitatis exemplaria sunt, Quintiliani unum Scam. 46. Nonii Marcelli alterum Scam. 48. Ciceronis Epistolæ ad Familiares 4. Scam. 49. Martiani Capellæ exemplaria duo antiquissima Scam. 51.

SCAM. LV. Ulpiano in Demosthenem subjiciuntur Epistolæ Libanii hactenus non editæ. Opus quidem recens, sed tamen egregiè scriptum, fol.

Urbicii & aliorum tractatus de re militari in fol. Hic Codex & ob diversos Autores, quos continet, & ob insignem antiquitatem haud dubiè præcipuo loco habendus. Sed dolendum est omnia ferme principia singulorum librorum ob lemniscos miniatos excisa esse, atque adeo Auctores librorum ignorari. Sed cum in hoc volumine evol-

evolvendo multum studii atque operæ posuerim, dicam de singulis ordine, quæ explorata habeo. Primus tractatus in XII. libros divisus falsò Urbicii nomen præfert, cum sit Mauritii Imperatoris, ut ex Indice Capitum Romæ ad me misso cognovi. Hic autem Urbicii sive Mauritii tractatus multis oppletus est lacunis, confusus & foliis passim transpositis. Facile tamen ex Romanis exemplaribus suppleri & restitui posset: sed ejus editionem indies expectamus à Cl. Salmasio. Sequuntur hypotheses rerum militarium 54. Capitibus divisæ, sed harum excerpta tantum habentur sive Eclogæ, ut vocant, in hoc exemplari. Integrum haberi in Parisiensi Bibliotheca, didici ex locis à Casaubono ad Polybium prolatis. Auctorem antiquissimum esse ex eo conjicio, quod vix ullum citet exemplum infra Cæsaris aut Augusti ætatem. Fuitque haud dubiè Tacticorum scriptorum præcipuus post Polybium, ejusque editionem olim promisit Casaubonus. Sequitur tractatus scriptoris Christiani, cujus primum folium ac nomen pariter desideratur. Is elocutione paulo est simplicior, sed in docendo clarus ac perspicuus. Incipit à divisione Politices in suas partes, agitque porro de Magistratibus ordinibusq; civilibus, sed brevibus: inde de militaribus multò prolixius. Ætatem deprehendere non potui. Vixit sub Imperatoribus Græcis post tempora Justiniani, cum Bellisarii meminerit, nullis tamen vocibus barbaris utitur:

quibus Mauritius, Leo & Constantinus Imperator scatent. Quarto loco habentur Asclepiodori Capita Tactica, sed satis apparet, eum nullam rei militaris habuisse experientiam: itaque Æliani Tactica fermè ad verbum describit, stylo tamen interpolato, ut furtum celet. Æliani Tactica & Æneæ de toleranda obsidione liber, qui postea 5. & 6. loco sequuntur, publicè extant, ideoque necessum non est, his immorari. Id tantum dicam, regium exemplar Æneæ, quod Casaubonus in sua editione expressit, ex hoc Codice transcriptum videri. Ita ejusdem utrobique lacunæ iidemque errores comparent. Sequuntur Tactica Arriani principio mutila. Hic quoque prima operis parte adeo similis Æliano, ut, uter alterum expresserit, dici non possit, cum uterque sub Hadriano Imperatore vixerit & scripserit: alteram partem, quæ est de decursionibus Romanorum, peculiarem habet, & ex qua sola ea Veteris Romanæ militiæ notitia peti debet. Subjungitur ejus Arriani dispositio exercitûs contra Alanos, quod velut exemplum practicum Scientiæ Tacticæ, nescio, ex quo ejus opere desumtum fuerit. Sed & hic quoque tractatus fine mutilus est. Arrianum excipit Onosander, quem Rigaltius græcè & latinè edidit. Sequitur hunc tractatus Auctoris longè sequioris, cujus nomen cum principio libri interiit: hic multa habet de remediis equorum, & de telis veneno inficiendis, quæ nescio quam seculi barbariem

jam

jam redolent; ut & tota ejus scribendi ratio. Undecimo loco habetur Enchiridion Epicteti; sed verbis ad Christianæ religionis sensum subinde transmutatis: adjungitur expositio ejusdem Enchiridii, quæ tamen vix ultra tria aut quatuor Capita progreditur. Onosandro subjungitur tractatus de Orationibus militaribus, quo accuratè pertractantur omnia Capita, quæ ad argumentum illud spectant, & singula suis exemplis declarantur. Duodecimo loco sequuntur XIV. libri Problematum militarium, quorum principium reciſum est. Attamen ex vestigio lemniſci & tituli deprehendi Auctorem illorum esse Leonem Imp. Quæstiones singulorum Capitum minio scriptæ evanuerunt, ut legi amplius non possint. Hi libri ita breves sunt, ut nonnulli vix unam expleant paginam. Eos edi operæ pretium foret. Post Problemata sequuntur Constitutiones militares ejusdem Leonis Imperatoris, quas græcè & latinè edidit Joh. Meursius: sed lacunæ, quæ & magnæ & frequentes sunt in ejus editione, ex hoc Codice suppleri possunt. Ultimo denique loco habentur Tactica Constantini Porphyrogennetæ diversa ab iis, quæ idem Meursius cum aliis ejusdem Constantini Imperatoris operibus publicavit. Ea autem, quæ in hoc Codice extant, desumta sunt ferè ad verbum ex libro XI. Urbicii sive Mauritii Imperatoris.

Eodem Scamno LV. habentur Conciones Catecheticæ S. Theodori Studitæ græcè necdum editæ.

SCAM. LVI. Extat Menandri Rhetorica, cui deinde subjunguntur Opuscula quædam optimæ notæ sine certo Auctoris nomine, quem tamen Phlegontem Trallianum, Hadriani Cæsaris libertum, esse existimo. Horum alia H. Stephanus edidit ex hoc Codice desumta, alia Canterus, ut sunt: Narrationes de mirabilibus aquarum; de Nili inundatione: Heroum Homericorum epitaphia; ac Homeri & Hesiodi certamen. Supersunt ibidem Narrationes de mulieribus bellica laude claris, aliaque nondum edita: probæ & antiquæ notæ. Codex habetur primo loco scriptus charta bombycina. Habent itidem varia opera recentium Scriptorum Græcorum, Planudis, Gregorii, Plethonis & aliorum non edita.

SCAM. LVII. Hermogenis Opera Rhetorica cum variorum Commentariis, quorum nonnulla hactenus lucem non aspexerunt, ut sunt expositiones Joh. Philosophi Siculi.

Epistolæ SS. Patrum diversæ, & in his Maximi non editæ, fol. Libanii Epistolæ nunquam editæ, n. cccc.

Epistolis Græcanicis diversorum subjunguntur Declamationes Callinici, Adriani Rhetoris, & Jamblichii: Babylonis historiæ Scriptores non editi.

Lexicon græcum Cyrilli, nî fallor, cui subjunguntur varia Lexica dictionum Scripturæ: itemque de ponderibus & mensuris. Item Lexicon latino-barbarum, 4. Codex antiquus.

SCAM.

SCAM. LVIII. Josephi Racendatæ Rhetorica in fol. non edita. Procli Scholia in Cratylum Platonis: subjunguntur Theodori Lascaris de Physica communione, 4.

Inferiori ordine extat incertus de Syntaxi græca, cui postea subjunguntur Psellus in Psychogoniam Platonis. Bryennii de Musica Libr. 4. Nicomachi Perusini, Pythagorici Philosophi, Arithmetica cum Commentario Asclepii Toralliani, opus quantivis pretii. Ptolomæi Musica cum Commentariis Porphyrii Philosophi nunquam edita. Codex est in 4. insignis sane, sed minutissimo charactere scriptus.

SCAM. LIX. Primo loco extant Platonis Opera, quibus præmittitur Albini Introductio in lectionem Platonis nunquam edita. Alcinoi quasi Compendium Philosophiæ Platonicæ, & Theon de Mathematicis rebus, ad Platonis intelligentiam pertinentibus. Codex est insignis in charta bombycina, in fol.

Eudemi Rhetoris Lexicon Rhetoricum in 4. quod Suidas se in suum Dictionarium transscripsisse testatur. Huic adjecta sunt varia Lexica sacra, & congeries Definitionum Theologicarum ex SS. Patribus collecta. Duo exemplaria S. Cyrilli, 4.

Collectiones diversorum Adagiorum græcorum Planudis & aliorum, 4. Ibidem varia opera diversorum, sub quo titulo habentur aliqui libri Galeni, & Philarethi Medici liber de pulsibus 4. ineditus.

In alio Codice variorum in 4. post multa alia habentur Lesbonactis tractatus, de præexistentia & transmigratione animarum contra Plotinum, 4.

Chrysoloræ Comparatio veteris & novæ Romæ, aliaque ejusdem, 8.

SCAM. LXIII. Inter Latinos Historicos duo extant insignes Codices Livii, alter superius n. 7. fol. alter inferius in 4. quadrato.

SCAM. LXIV. Curtii exemplar admirandæ antiquitatis 14. parvo quarto quadrato DCC. circiter annorum.

Ibidem duo antiquissima exemplaria Sallustii.

SCAM. LXV. Pauli Orosii Libri VI. priores, scripti charactere majusculo circa tempora Justiniani Imperatoris. Scriptum simillimum est Pandectis Florentinis. Hic Codex post Virgilium superius commemoratum totius Biblothecæ antiquissimus est.

SCAM. LXVI. Codex I. Josephus, ex versione Russini, scriptus charactere Longobardico majori, forma & vetustate spectabilis. Inferius 1. loco, duo Codices antiquissimi Justini in 4. Ibidem Historia Assyriorum & Dares Phrygius, & Apollonii Tyrii historia admirabilis, Codex Longobardico charactere ante 700. annos scriptus. Ultimo loco extat Aurelii Victoris Compendium de Cæsaribus, & Svetonius, antiquum & probum exemplar, in 4.

SCAM.

SCAM. LXVIII. Codex 1. Cornelius Tacitus & Apulejus, scriptura Longobardica admirandæ vetustatis, fol. Ad hoc exemplar Curtius Pichena Tacitum recensuit, & Wowerius Apulejum. Codex 4. Commentaria Cæsaris charactere Longbardico, fol. Inferius Cod. 1. Corn. Taciti Historiarum Libri V. ex Fuldensi Bibliotheca ad Leonem X. allati, & ejus jussu vulgati, antiquissimum exemplar in 4. quadrato.

SCAM. LXIX. Inter Historicos Græcos aliquot præclara exemplaria Fl. Josephi. Eorum unum habet in calce fragmentum ex libro Josephi contra Gentes, cui titulum fecerat: contra Platonem de causa universi. Hunc librum integrum legit Photius, qui non sine causa eum Josepho abjudicat, & Cajo vel Justino, aut alteri alicui veteri Theologo Christiano tribuendum docet. Nam hoc fragmentum de inferorum loco ac pœnis, de resurrectione & extremo judicio, de Christo &c. non Judæum, sed Christianum Auctorem esse clarissimè probat.

SCAM. LXX. Alexias, sive historia de rebus Alexii Comneni Imp. scripta ab Anna Comnena ejus filia, fol. Hoc exemplar antiquissimum est, & non multo post Alexii tempora scriptum. Principio deest præfatio & frontispicium operis, in calce ultimus liber, qui est XXV, desideratur. Hujus Historiæ VII. priores libri tantum editi sunt in Germania, sed tot erroribus & lacunis deformes, ut hactenus inventus

ventus sit nemo, qui iis vertendis manum admoveret. Nec facile Catholicorum quisquam animum ad edendum hoc opus adjiciet, quod Jacobus Gretserus acerrimo scripto Annæ istius nomen diffamavit, eò, quod uno loco in Pontificem Romanum invehitur. Sed profecto publico cum damno tam insignis historia in Bibliothecarum pulvere latet, quæ à Principe fœmina scripta, Principem Vindicem expectat.

Ibid. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii antiquissimum & pulcherrimum extat exemplar in fol. max. Decimo libro subjungitur fragmentum de Martyribus in Palæstina passis, quæ tota narratio totidem fere verbis lib. 8. legitur. Hoc fragmentum ab Hispanis aliquando habitum fuit pro libro illo, quem de Martyribus seorsim ab se scriptum non uno loco fatetur Eusebius, qui vix tandem ejus copiam fecerunt Vaticanæ Bibliothecæ Præfectis.

Appiani Historiæ subjungitur libellus Pselli novarum seu peregrinarum narrationum, item alius de Virtutibus lapidum, sed omnia pro ejus seculi ingenio nugis scatent. Inferius Chronicon collectum à Georgio Hamartolo sive peccatore à principio mundi usque ad mortem Romani Imperatoris quarti. Extat simillimum exemplar in ædibus Salviatorum.

SCAM. LXX. Codex 3. Sophronii Paraphrasis Græca in libr. Aristot. de anima, fol.

SCAM.

SCAM. LXXII. Aristotelis Logica cum variis variorum Commentariis; ex hisce Dexippus in prædicamenta nunquam græcè prodiit: & David Philosophus in Porphyrii Introductionem, nec græcè, nec latinè. Sed hic levis momenti Auctor est.

SCAM. LXXIV. Extat admirandum illud Chirurgorum antiquorum opus, congestum à quodam Niceta Medico. Habentur in eo volumine multa antiquissimorum Medicorum Opuscula & tractatus de partibus Chirurgiæ, ut sunt præter Hippocratis, Galeni, Oribasii & Pauli Æginetæ cum notis, Heliodori de fracturis Cap. XII. Apollonii Cilicensis tractatus de Articulis sive juncturis, cap. 36. Soranus de signis fracturæ cap. 23. Idem de variis obligandi modis cap. 59. cum figuris, qui tractatus seorsim edi posset: Sicut ex hoc Codice olim prodierunt Ruffi Ephesii & Palladii Opuscula à Gallis olim edita. Sunt alia multa aliorum fragmenta in eodem volumine. Ego præcipuos duntaxat & justos tractatus commemoro.

SCAM. LXXV. Alexandri Aphrodisiensis Medici de Febribus liber nunquam editus, 4.

Palladii Scholia in VI. Ejusdem Hipp.

Inferius de re Medica ad Constantinum VIII. Imp. Eodem Codice habentur Excerpta ex Tacticis Leonis Imp. Item ex alio opere, quod inscribitur: Monita militaria ex factis & stratagematis Rom. & Græc. 28. capp.

SCAM.

SCAM. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. & LXXIX. Philosophi latini plerique omnes recentiores & barbari.

SCAM. LXXX. Libri legales & politici Græci, & in his Procli Comment. in Rempubl. Platonis in 4. Codex antiquissimus, ex quo pleraque exemplaria per Europæ Bibliothecas promanarunt: etiam Oxoniense in Britannia, quod vitiosissimè scriptum Basileenses repræsentarunt. Huic MSCto præfixus est Index Capitum: unde perspexi principio magnam partem capitis primi, secundum integrum & tertium caput maxima parte desiderari. In fine autem dissertationes IX. in tres posteriores libros Platonis periisse. Sed totum hujus operis supplementum apud Salviatos extare deinde deprehendi. Sed ut Simiæ prolem præ nimio affectu suffocant, ita invidi illi & maligni librorum Custodes, dum thesaurum nimium abscondunt, eundem & sibi & publico perdiderunt. Nam quaterniones illi ita carie, mareore & putredine corrupti sunt, ut membranæ divelli nequeant, in quibus vix detrita literarum vestigia apparent. Illi tamen canes, quod ajunt, in præsepi & Dracones thesauris incumbentes, omnia sibi salva & sarta tecta existimant, dum modo ipsi soli possideant. Sane non solum operæ pretium foret, sed publicum beneficium extorquere ab iniquis possessoribus describendi copiam, ut & Mediceus Codex suppleatur, & præstantissimum opus non funditus pe-

pereat. Id quod tamen sine Principis auctoritate impetrari non poterit.

Inferius ultimus Codex continet præter Xenophontis Opera varia aliorum excerpta. Et in his quidem de Adagiis Græcis, quibus in Codice titulus adscribitur: Plutarchus de Proverbiis, quibus utuntur Alexandrini, cujus tamen libri inter ejus Opera nec vola, nec vestigium extat. Et forte est Plutarchi Junioris Attici, Platonici Philosophi, quem Alexandriæ vixisse ex Damascio apud Photium didici.

SCAM. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. Philosophi recentiores Latini, in quibus multi haud magni, præsertim Scholastici aliquot barbari.

SCAM. CV. Extat ingens Volumen sive Oceanus, ut vocant, Interpretum Aristotelis, qui omnes editi extant græcè & latinè præter Davidem Philosophum in Prædicamenta, cujus & supra memini.

Procli Commentarius in Parmenidem & in priorem Alcibiad. Platonis nunquam editus, fol. neque unquam lucem adspiciet, nisi nobis fata eodem tempore & Laurentium Medicem & Marsilium Ficinum reducant: neque enim publici hæc saporis sunt, aut quæ vulgus Eruditorum facile attingat.

Codex n. 8. Platonis Operum insigne exemplar, cum notis marginalibus valde eruditis, quas in multis antiquis Codicibus vidi, fol.

yS-

Syrianus in Metaphysica sive potius solutiones eorum, quæ Aristoteles in Metaphysicis adversus Pythagoricos & Platonicos disputat. Hoc opus Veneta Academia latinè edidit, sed versio adeo inepta est, ut Autoris mentem ne per nebulam quidem perspexerit.

SCAM. LXXXVI. Asclepiadis Comment. in Metaphys. Aristotelis ex Ammonii ore excepta, fol.

Damascius Philosophus ineditus in Platonem.

Jamblichi de Vita & Philosophia Pythagoræ Lib. IV. qui ex novem superstant, ut ex Indice huic operi præfixo apparet, fol. max.

Subjungitur Vita Procli Lycii Philosophi, Auctore Marino ejus successore, cujus dimidia tantum pars edita fuit. Hic Codex omnium, quotquot vidi, optimus est & correctissimus.

Ibidem Codex habetur antiquissimus in membranis, ubi præter Adamantionem sive Nemesin de natura hominis, extat synodicon, sive Compendium de omnibus Conciliis & Synodis Ecclesiæ tam Orthodoxis, quàm Hæreticis, à temporibus Apostolorum usque ad Synodum Oecumenicam VIII. Hic liber à quodam Hæretico Joh. Pappo editus fuit in Germania cum scholiis & censuris: unde Catholici ut suspectum negligunt, qui Tomis Conciliorum præfigi debebat. Esset operæ pretium Pappi editionem cum hoc Codice conferre, & scriptorem ipsum postliminio Catholicis restituere. Ha-

Habentur ibidem duo exemplaria libri nugaciſſimi ſortilegiorum, quem Græci poſteriores inſcripſere Laxeuterium Pythagoricum, quod monui, ne cui Pythagoræ nomen imponat.

SCAM. CVII. Cod. 3. Plotini Opera optimæ notæ. Apparet Marſilium Ficinum in vertendo hoc exemplari uſum fuiſſe, ad quod græcam editionem Baſileenſem conferri utile eſſet. &c.

OBSERVATIO V.

ARISTOTELES à CRIMINE AUTOCHEIRIÆ DEFENSUS.

OECONOMIA.

§. 1. *Varia crimina Ariſtoteli imputata, quæ inter & Autocheiria eſt.* §. 2. *Auctores, qui eundem veneno hauſto obiiſſe volunt, adducuntur.* §. 3. *Ut & Scriptores, qui eundem ſeſe in Euripum præcipitaſſe tradunt.* §. 4. *Ariſtotelem cædis propriæ non eſſe reum generatim oſtenditur ex teſtimoniis Veterum, qui eum morte naturali deceſſiſſe referunt.* §. 5. 6. 7. *Nec non ex rationibus variis.* §. 8. 9. *Speciatim illa ſententia variis argumentis confutatur, quæ cicutæ potu Ariſtotelem obiiſſe dicit,* §. 10. *Reſpondetur teſtimoniis in contrarium allatis.* §. 11. 12. *Rejicitur & altera ſententia de morte*

Aristotelis in undis Euripi. §. 13. Cujus etiam fundamenta subruuntur.

§. I.

HAbuit semper bonus Aristoteles suos osores, qui, ut invidiam ei crearent, vitam ejus percensuerunt, & nescio quæ non vitia ac crimina in eadem sese reperisse existimarunt. Habuit tamen simul suos defensores, qui causam ejus contra adversariorum insultus mascule egerunt. Hos inter apologiam Aristotelis ex professo scripsit *Melchior Zeidlerus*, Philosophus apud Regiomontanos acutus, in Præfat. Introduct. in Lectionem Aristotelis Regiom. 1689. 4. impressæ. Amplius contra criminationes Gassendi Aristotelem aliquot dissertationibus, Rostochii & Lipsiæ 1698. 1699. editis, defendit *Henr. Alcan. Engelckenius*. Speciatim verò ab Atheismo Philosophum liberavit *Zach Grapius*, Dissertat. de problemate: an Aristoteles fuerit Atheus, Rostoch. 1703. 4. Confer tamen *Observat. Halens.* Tom. VIII. p. 209. sqq. Porro, à conspiratione in necem Alexandri M. illum absolvit *M Paulus Rabe*, Disp. Regiom. A. 1692. de morte Alexandri M. habita. Ab ingratitudinis peccato erga Præceptorem Platonem eum vindicavit Cl. Vir *Jo. Ern. Segers*, in quæstion. Controversis, Quæst. I. Scepticismum ab eô removit *M. Sam. Masecovius*, in quæst. uter in Scrutinio veritatis rectius dubitet, Aristoteles an Cartesius, Regiom. 1704. ven-

ventilata: videsis tamen *Dn. Christ. Thomasium*, in Dodecade quæstionum philos. quæst. XI. Plagii crimen ab illo absterſit *Jac. Thomasius*, de plagio liter. §. 364. Denique, ut alia nunc taceam, de religione Aristotelis contra Judæos egit *M. Joh. Friderich*, Dissert. Regiom. 1705. publicata; adde *M. Laur. David. Bolhagens* Disp. de quæst. utrum Aristoteles fuerit Judæus, Gryphisw. 1704. 4. Cum verò & cædis propriæ reus à multis agatur idem Philosophus, videamus num eundem ab hoc quoque autocheiriæ crimine liberare possimus. Quo ipso nos eandem apud orbem eruditum inituros gratiam confidimus, quam meriti sunt, qui Aristotelem non modo, sed & alios Viros Illustres ac Eruditos ab impactis iisdem erroribus, hæresibus, vitiis & criminibus vindicarunt.

§. 2. Duo autem se hic statim sententiarum offerunt divortia. Nimirum I. sunt, qui Aristotelem *cicutæ poculo hausto* diem suum obiisse putant. Rem ipsam omnium prolixissimè narrat FRANCISCUS PATRICIUS, Tom. I. Discuss. Peripat. lib. I. p. 9. scribens: *Perrexit ergo Athenis docere, usque ad sexagesimum secundum suæ ætatis annum, quo tempore ab Eurymedonte quodam hierophantâ vel sycophantâ ἀσεβείας, i. e. impietatis est accusatus, eò scilicet, quod Hermiæ Eunucho, jam olim, veluti Apollini Pæana cecinisset, ac Pythiadi uxori tanquam Cereri sacrificasset. Itaque metuens ne sibi tunc, quod olim Socrati, accideret,*

solum vertit, Chalcidemque Euboæ se recepit. — Dum verò Chalcide moratur orationem in sui defensionem scripsit, eamq; judicibus transmisit. — Sed cùm oratio ea ad Judices nihil profecisset, ad judicium q; nihilominus vocaretur, cicutam bibere elegit, cujus succô XLIII. anno ante Socrates extinctus fuerat. Idem ex *Eumelo*, Corinthio Poëta, Olymp. IV. claro, olim jam retulit DIOGENES LAERTIUS lib. V. in Vita Aristotelis Segm. 6. p. m. 272. ubi ita: Aristoteles Chalcide, *ut ait Eumelus, in quinto historiarum, aconitum bibens, mortuus est septuagesimô ætatis annô.* Conf. *Pagan. Gaudentius*, in Recitat. de Philosoph. quorund. luctusô exitu, p. 148. Opuscul. &, qui avide relationem hanc arripit, *Petr. Gassendum*, in Exercit. Paradox. adversus Aristoteleos, Exerc. III. §. 3. p. m. 30. Consentit HESYCHIUS MILESIUS, in Libell. de iis, qui eruditionis famâ claruêre, p. m. 11. ita scribens: *Aristoteles Stagirites memoratur Pæana in Hermiam Eunuchum socerum suum scripsisse, eaque de causa judicum sententiis condemnatus cicutæ poculum hausisse, atque ita occubuisse.* Nec aliter factum hoc pronunciat SUIDAS, in Lexico sub voce Ἀριστοτέλης, Tom. I. pag. m. 431. ubi ita: *natus autem est Olympiade XCIX. & obiit Chalcide aconitô hausto, quia vocabatur in jus ad rationes reddendas, quod hymnum in Hermiam Eunuchum scripsisset.* Tandem & JUSTUS LIPSIUS in hac sententia deprehenditur, quando in notis ad *L. A. Senecæ*, libr.

libr. de otio Sapient. cap. XXXII. ad verba illa: *Aristoteles ne damnaretur, fugit*, p. m. 693. ita commentatur: *cùm XIII. annos docuisset à morte Alexandri, impietatis accusatus ab Erymedonte sycophantâ, Chalcidem profugit, & potò aconitò vita aufugit.*

§. III. Deinde II. alii hanc de morte Aristotelis fovent opinionem, acsi, *desperatione ductus, semetipsum in Euripum præcipitem dederit*, eò quod naturam ejus causamque fluxûs & refluxûs assequi non potuerit, ceu refert COELIUS RHODIGINUS, lib. XXIX. Lect. Antiq. c. 8. col. m. 1620. Patrocinari videtur huic opinioni inter Patres vel ipse GREGORIUS NAZIANZENUS, dum Orat. III. quæ est prior invectiva in Julian. Apostat. p. m. 79. B. Tom. I. Oper. ita Julianum alloquitur: *Laudas insuper in Homero discendi amorem circa Arcadicam quæstionem, & in Aristotele Philosophiam & diutinam moram ad reciprocos Euripi æstus, quibus uterque occubuit.* In quæ verba ELIAS CRETENSIS ita commentatur: *Aristoteles, cùm reciprocationis Euripi causam cognitione assequi non potuisset, se ipsum in eum præcipitem dedit ac suffocatus est.* Vide ejus Comment. in Orat. III. Gregorii Nazianzeni, Tom. II. Oper. Ejus, p. m. 332. C. Pariter & NONNUS in Collect. & Exposit. profanarum historiarum, quæ reperitur Tom. II. Oper. Gregorii, p. m. 507. D. *Aristoteles*, inquit, *rerum omnium, ut videtur, naturam indagare & cognoscere voluit.*

Quam cùm assequi non potuisset in hanc maris partem se præcipitem dedit atque interiit, his verbis utens: quoniam Aristoteles Euripum minimè cepit, Aristotelem Euripus habeat. Atque ita negotiô infectô mortem obiit Aristoteles. Non alienus etiam est ab hac sententia EUSTATHIUS Thessalonicensis Episcopus, tempore Comneni & Andronici clarus, Exposit. in περιήγης. Dionysii, p. 67. ubi ita de Euripo fatur: Ἑπτάκις τὸ ὅλον νυχθήμερον μεταβάλλει ὁ περὶ Εὔβοιαν Εὔριπος περὶ ὃν φασι διατρίψαντα τὸν ἀριστοτέλην καταλύσαι τὸν βίον. Quæ sic latinè leguntur reddita: *Septies intra diem naturalem reciprocô æstu agitatur Euripus, ibique mortuus est Aristoteles.* Denique & JOHANNEM VALLENSEM, Anglum, huic etiam sententiæ subscripsisse testatur *Franciscus Patricius*, loc. cit. pag. 11.

§. IV. Verùm neutra ex his opinionibus assensum nostrum impetrat, utpote qui Aristotelem *naturali morte* diem suum obiisse existimamus, idque rationibus haud contemnendis suffulti. Referunt quippe Autores, iique probatissimi, eundem annô tertiô Olympiadis CXIV, sexagesimum tertium ætatis annum agentem (qui est annus Climactericus, quô & alia præstantissima ingenia extincta fuêre, quorum recensionem instituit *M. Reinh. Henr. Rollius*, diss. epistol. ad D. Fechtium: de Eruditis Climacterico maximô denatis, Rostoch. 1707. 4.) Chalcide morbô superatum naturæ debitum solvisse. Ita nam-

namque DIONYSIUS HALICARNASSÆUS, in Epist. ad Ammæum, *Hieron. Wolfio* Interpret. Tom. II. Oper. p. m. 224. 225. *Post Philippi obitum*, inquit, *Evenæto Prætore profectus Athenas Aristoteles Scholas habuit duodecim annos in Lyceo. Decimô tertiô autem, Alexandrô mortuô, Prætore Cephisodorô, Chalcidem migravit, ibiq; ex morbô decessit, cùm tres & sexaginta vixisset annos.* Nec aliud testatur APOLLODORUS, in Chronicis apud *Laërtium*, lib. V. Seg. 10. pag. m. 274. ubi Aristotelem, *cùm tredecim annos in Lyceo docuisset, Chalcidem annô tertiô Olympiadis centesimæ quartæ decimæ perrexisse*, dicit, *ibique morbô periisse, quum esset annorum ferè LXIII.* Suffragatur & CENSORINUS, in libro de die natali, cap. XIV. p 94. *Aristotelem*, ait, *ferunt naturalem stomachi infirmitatem crebrasq; morbidi corporis offensiones adeò virtute animi diu sustentâsse, ut magis mirum sit ad annos LXIII, cum vitam pertulisse, quàm ultrò non protulisse.* Taceo STRABONEM L. X. Geograph. p. m. 512. ÆLIANUM, L. IX. Var. Hist. c. 23. AUL. GELLIUM, Noct. Att. L. XVII. c. 21. AMMONIUM, in Vita Arist. aliosve, qui omnes quidem mortis Stagiritæ mentionem faciunt, sed non violentæ, verum naturalis. Neque enim præsumendum est, notabilem hanc circumstantiam illos reticere voluisse, quia minutiora longè de Aristotele notarunt. Denique citat *Jo. Jonsius* de scriptoribus hist. Philos. p. 71. *Antipatris* cujusdam epistolam de morte Aristotelis & p. 314.

Fort. Liceti narrationem de sepulchro Aristotelis, quæ quomodo cum autocheiria ejus possint componi, non video.

§. V. Et quis crederet, tantum Philosophum egregiam suam vitam, quæ ab *Averrhoë*, Comment. in lib. III. de Anima *exemplar & regula humanæ perfectionis* vocatur, morte tam abominandâ & detestabili contaminasse? præsertim cum in articulo mortis constitutus, ut ab antiquis monumentis acceptum refert *Cœlius Rhodiginus*, lib. XVII. Antiq. Lect. cap. 34. col. m. 954. lachrymis, dolore & spe plenus, divinam misericordiam intentiùs imploraverit. *Proditum*, inquit, *& illud monumentis est, quum Philosophus extrema sibi ingruere præsensisset, dolore ac spe in lachrymas amplius profusum, primæ causæ misericordiam intentiùs imploràsse.* Quò etiam pertinet, quod *Fortun. Licetus* lib. I. de Pietate Aristotelis, cap 14. & 16. de illo refert, eundem, secundum communem traditionem sæpius ingemuisse: *Causa Causarum*, vel ut alii perhibent, *Ens Entium misereri mei!* quod etiam ipsum moribundum fecisse *Philipp Camerarius* narrat, Cent. 1. Horar. Succisiv. cap. 97. p. m. 497. Immò ut paulò antè citatus *Cœlius Rhodiginus* ex libro quodam antiquo de Pomo, lib. XVIII. Lect. Antiqu. c. 31. col. m. 1025. perhibet, discipuli modo mortuum Aristotelem DEO commendarunt, tanquam hominem probum atque sapientem. Verba ejus hæc sunt: *& in Libro de pomo, quisquis fuerit Au-*

Auctor, adnotatum invenias, Scholasticos, qui morienti aderant Aristoteli, quum is jam exspirasset, sic virum affatos: Qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondens thesauris, uti animam addecet recti hominis & perfecti, qualem te novimus. Hunc ספר התפוח sive librum, *de pomo Aristotelis* inscriptum, vertit & notis illustravit *Joh. Justus Lossius*, in Biga dissertat. Gissæ 1706. in 4. editâ. Quid, quod eo nonnulli progressi sint, ut Aristotelem post mortem etiam à DEO salvatum pronunciarint, veluti id de *Sepulveda* & aliis viris eruditissimis affirmat *Fortun. Licetus*, loc. cit. cap. 16. de *Ficino* & *Genebrardo*, *Gisbertur Voëtius*, Part. II. Select. Disp. pag. 602. & de *Magistris Colonienſibus*, *Henr. Cornel. Agrippa*, de Incert. & Vanit. Scient. cap. 54. Conf. *M. Romani Telleri* diss. Lips. 1695. editam, de existimatione Aristotelis Stagiritæ apud Christianos, §. 18. Quas quidem sententias Auctoribus suis defendendas relinquimus: id tamen ex vita Philosophi secundum ductum rectæ rationis pro virili institutâ (de qua totus ille *Fortun. Liceti* tractatus, de Pietate Aristotelis erga DEUM atque homines, inscriptus, meritò conferri meretur) haud inconvenienter concludimus, eundem non tam fœdô mortis genere illam commaculasse.

§. VI. Minus etiam rationi consentaneum est, eum, qui contra αὐτόχειρες calamum strinxit, eosque timidos, ignavos & abjectos

animô, immò in DEUM, Patriam & semetipsos injurios severè proclamavit, (ceu inter alia id legere licet, *lib. III. Ethic. cap. 11.* item *lib. V. cap. 15.* & *lib. III. Eudem. cap. 1.*) sibimetipsi effœminatâ quâdam mollitie filum vitæ abrupisse. Scilicet non erat Philosophus noster ex eorum numero, qui aliter docebant, aliter autem vivebant, quemadmodum id quidem de nonnullis Philosophorum refert *Lucianus*, in Dialogo, cui titulus: *Piscator*, *sive reviviscentes*, Tom. I. Oper. p. m. 409. & *Arrianus* de Stoicis, lib. III. Comment. in Epictetum, cap. 7. p. m. 278. Quin potius, quæ ore proferebat, illa, præsertim in practicis, ipsô actu exercenda esse volebat, dum Philosophiam moralem non in nuda speculatione consistere, sed ad ipsam praxin seu actionem directam esse disertè doceat, *Lib. II. Ethic. cap. 2. lib. X. cap. 9. lib. II. Eudem. cap. 5. & I. Magn. Mor. cap. 1.*

§. VII. Notatu denique dignum est, quod apud *P. Ren. Rapinum* legimus, in tractatu gallico, cui titulus: *la comparaison de Platon & d'Aristote*, pag. 311. mortuo huic Philosopho Stagiritas altare cum monumento exstruxisse, locumque Ἀριστοτελεῖον vocasse, ac diem festum in ejus memoriam consecrasse, cujus etiam mentionem facit *Ammonius*, in vita hujus Philosophi à *Nunnesio* edita, pag. 6. hocque festum suô adhuc tempore durasse testatur *Joh. Mandevill*, nobilis Anglus, in Itinerar. cap. 2. qui circa A. C. MCCCXXII.

illas

illas regiones visitavit. Immò numum aureum in honorem Aristotelis cusum esse à Stagiritis ostendit *Corn. Dietr. Kochius*. Programm. Helmst. 1703. 4. edito, de Aristotele in numo aureo. Quæ omnia certè à Magistratu Græcorum nec permissa nec tolerata fuissent, si summus hic Philosophus propriâ se manu interemisset; præsertim cùm non tantùm ipse *Aristoteles, lib. V. Ethic. cap. 15.* expresse edisserat, quod *ejusmodi hominem civitas & mulctet, & ignominiâ afficiat:* quam pœnam *Andronicus Rhodius*, in Paraphrasi hujus loci, pag. m. 244. de sepultura asini interpretatur, sed etiam *Alexander ab Alexandro*, lib. V. Gen. Dier. c. ult. testetur, quod Athenienses crimen autocheiriæ impunitum haud reliquerint. Propius itaque veritati accedit posterior hæc nostra de morte Aristotelis naturali sententia, quàm prior illa eorum, qui hunc Philosophum propriâ cæde decessisse perhibent.

§. VIII. Sed magis adhuc obfirmabitur hæc nostra sententia, si contrarias rationes enervaverimus, quantique roboris sint ingenuè ostenderimus. Quod itaque primùm illos attinet, qui Aristotelem cicutæ poculò hausto extinctum esse asserunt, fallunt illi hac in re, & falluntur. Referunt enim Auctores, quorum fides extra ullam controversiam posita est, Aristotelem ab Athenienſibus in Chalcidem *non esse relegatum* ibique venenum hausisse, sed tantum Athenis *secessisse, suâque sponte Chalcidem iviſſe.*

Te-

Testatur id *Laërtius* lib. V. Segm. 5. p. 272. ubi ita: *Enimverò Aristoteles Athenas profectus, cùm illic tredecim annis docuisset, clam in Chalcidem concessit, quod ab Erymedonte sacrorum antistite impietatis accusatus esset, sive, ut Phavorinus ait in omnimoda historia, à Demophilo, quod hymnum in eum, quem prædiximus, Hermiam scripserit.* Nec aliter hac de re sentit *Origenes*, dum lib. I. contra Celsum, p. m. 51. ita fatur: *Aristoteles, cùm intellexisset parari sibi judicium, ut impio propter quædam dogmata ipsius suspecta impietatis Athenienſibus, digressus Athenis, apud Chalcidem scholam habuit.* Confer. *Cœlius Rhodiginus*, lib. II. Lect. Antiq. cap. 2. col. m. 55. Neque etiam statim mentem ad fugam adplicuit, sed defensionem pro se prius scripsit, & judicibus exhibuit, quam *Apologiam* vocat *Athenæus* loco mox citando; exhibet verò *Thomas Aldobrandinus*, Annot. ad Laërt. p. 105. Cùm verò nil defensione illa proficeret, maluit Athenas deserere, & Chalcidem petere, quàm cum instanti vitæ periculo remanere. Scilicet metuebat, ne ab Athenienſibus, quibus ut ἀσεβὴς & ἄθεος accusatus erat, eôdem suppliciô afficeretur, quô Socrates pari pactô plectebatur. Inde etiam à quopiam quæsitus: *cur reliquisset Athenas?* respondisse fertur: *id ideò à se factum, quod committere noluisset, ut Athenienses bis in Philosophiam peccarent*, tacitè Socratis mortem & suum innuens periculum. Confer. *Origenes* loc. cit. *Ælianus*, lib. III. Var. Hist. c. 36. & *Auctor Græ-*

Græcus vitæ Aristotelis, pag. 7. qui addit eum ad Antipatrum quoque scripsisse, eique significasse, quàm plena periculi res esset Athenis vitam degere, idque verbis ex *Homeri* Odyss. H. p. m. 91. leviter inflexis:

Et pyra nata pyris, ficusq; in ficubus exstant.

Significans calumnias Athenienſium assiduas esse, neque unquam fuisse intermissas, sed alias aliis, ut poma, succeſſisse. Vid. *Diogenes Laërtius*, l. c. Segm. 9. p. 273. & *Cœlius Rhodiginus*, Lib. XVII. Antiq. Lect. cap. 34. col. 954. Quodsi jam Aristoteles ideò Athenis profugit, ne à Senatu cicutæ poculum bibere, exemplò Socratis, cogeretur, quomodo itaque verisimile esse poterit, eum sponte venenum hausisse, sibique hôc ipsô mortem intulisse. *Quid enim opus fuit solum vertere, & Athenis fugere, si voluntariè erat obiturus? Annon ut in Eubœa, sic Athenis potare aconytum, & vitam finire licebat?* haud abs re quærit *Gvarinus* Veronensis, in vita Aristot. p. m. 54. Satius sanè fuisset mortem ab aliis præter jus & fas illatam sustinere & forti animo contemnere, sibique hôc ipsô immortale nomen, quod & Socrates fecerat, comparare, quàm semetipsum interficiendo non levem ignaviæ maculam sibi inurere.

§. IX. Neque fortasse opus habuit Aristoteles ob accusatum crimen gravem mortis pœnam, causâ probè examinatâ, ab Athenienſibus metuere. Nam (1) Pæanes non tantùm in honorem

norem Deorum, sed etiam Heroum atque Virorum fortium aliorumque hominum virtute præclarorum scriptos fuisse *Athenæus*, Lib. XV. Deipnosoph. cap. 16. p. m. 696. & 697. pluribus exemplis è græcâ historiâ adductis testatur. Et Lib. VI. cap. 14. p. m. 253. de ipsis Atheniensibus refert, quod in honorem Demetrii Polyorcetæ Regis Pæana cecinerint; quod etiam Lysandro Spartanorum Duci factum esse *Plutarchus* in vitâ ejus memorat, Tom I. Oper. p. m. 443. C. *Immò* apud *Polybium Megalopolitanum*, Lib. IV. Histor. cap. 20. p. m. 403. legimus, quod *apud Arcades pueri primò ab ipsâ infantiâ ex legibus assuescant hymnos & pæanes canere, quibus more patriò singuli suos Deos & Heroas celebrant.* Unde & *I. C. Scaliger* Lib. I. Poët. cap. 44. miratur, *quod Athenienses prosecuti judiciò sint Aristotelem, quoniam in Hermiam, qui esset mortalis, tanquam in DEUM Pæana condidisset, quum tamen etiam Viris fortibus daretur id.* Si verò & hominibus Pæanes à Græcis fuerunt decantati, Aristoteles ob simile quid tanquam ἀσεβὴς & ἄθεος accusari haud potuit, neque propterea mortis pœnam ab Atheniensibus metuere, multo minus ex hôc metu proprias sibi inferre manus opus habuit. Quo accedit (2) quod Aristoteles in Hermiam non Pæanem, sed saltem Scholion seu carmen panegyricum, in conviviis cani solitum, scripserit. Ita enim *Athenæus*, Lib. XV. Deipnos. c. 16. p. m. 696. *Quod ab Aristotele scriptum legimus, non qui-*

quidem sacer est hymnus, ut calumniatur Demophilus, qui Philosophum violatæ religionis criminatus est, tametsi quidam ab Erymedonte scribant accusatum fuisse, tanquam impium & in conviviis de Hermeia sacrum hymnum quotidie canentem. In eâ cantione speciem hymni nullam esse. sed illam contra Scolii quoddam genus potius existimandum ex oratione primum clarè vobis demonstrabo. &c. Recitat deinde ipsum carmen, atque duabus rationibus evidenter ostendit, illud non fuisse Pæanem sive hymnum sacrum. Nam initiò disertè Aristoteles in hôc carmine fatetur, eum, quem laudat, mortem obiisse, quod DEO non convenit, cui proprius Pæan; igitur Pæanem scribere non voluit. Deinde omnis Pæan habet acclamationem pæanicam ἴε παιᾶν ἴε. Ast talis non reperitur in hôc carmine Aristotelis, unde illud Pæan dici non poterit. Nimirum ut *Clar. Scaliger* loc. cit. annotat, duûm generum fuerunt Pæana, alterum, quô in victoriis cum acclamatione gratulabantur: alterum verò, quô laudes celebrabant sine acclamatione, cujusmodi illum Aristotelis & Aciphronis Sicyonii, quem fecit in laudem bonæ valetudinis, fuisse perhibet. Calumniæ ergo fuerunt, quibus Philosophus noster ab Erymedonte sive Demophilô apud Athenienses fuit oneratus, unde & hos ejus accusatores *Athenæus* loc. cit. expressè *calumniatores* vocat. Quodsi jam Aristoteles Pæanem sacrum & Diis competentem in Hermiam non scri-

scripsit, à crimine ἀσεβείας ejusdemque pœnâ etiam immunis fuit; cùm cessante crimine, & ipsa cesset pœnâ; nec proinde probabile est, ipsi hanc falsam accusationem tantum incussisse metum, ut propria cæde sese jugularet. Quod verò Athenis discesserit, id, quemadmodum superius innuimus, tantùm propterea fecit, ne superstitiosis Atheniensibus occasionem daret, ut primus eorum impetus in ipsum sæviret, ex quô tamen minimè sequitur eundem se ipsum postea interfeciisse, præsertim cum memorante *Origene*, Lib. 1. contra Celsum, p. m. 51. Chalcide Scholam habuerit.

§. X. Nec testimonia superius in contrarium allata tanti sunt roboris, ut nostram sententiam labefactare valeant. Quod enim *Franciscum Patricium* attinet, ille profectò infensissimus Aristotelis hostis, & in Tomis suis IV. Discuss. Peripat. totus in eo est, ut Aristotelem omni ex parte fugillet & cavilletur, quam ob rem etiam à *Jano Nicio Erythræo* in Pynacoth. I. Imag. Illustr. p. m. 204. graviter reprehenditur. Lubet etiam hic afferre judicium, quod de illo tulit *Joh. Jonsius*, Lib. III. de Scriptor. Histor. Philosophicæ, cap. 20. p. m. 311. ubi ita: *Franciscus Patricius, audacis homo ingenii, ut sibi nomen compararet, Aristotelis Philosophiam refutandam sibi sumpsit, Tomis IV. Discussionum Peripateticarum, editis Basileæ in folio, Anno 1581. Verum in superbô hôc opere diligentiam ejus laudamus,*

damus, judicium desideramus, audaciam improbamus. Conf. *J. H. Bæclerus*, in Bibliographia curiosa, §. 40. & *Ant. Teissier*, dans ses Eloges des hommes scavantes, Tom. II. p. 277. Tantus autem cùm fuerit Aristotelis hostis Patricius, quis ab illo veritatem expectabit, aut firmam verbis ejus fidem præbere poterit. Immo nec satis constans est in sua relatione. Postquam enim Aristotelem aconitô hausto obiisse dixerat, statim subjicit: *Apollodorus tamen morbô eum occubuisse scripsit, annô scilicet ætatis suæ sexagesimo tertio*, sicque adhuc anceps hæret, utra harum sententiarum amplectenda & pro verâ habenda sit, nihilque certò determinat. Deinde in allatô testimoniô perhibet Aristotelem anno XLIII. post Socratem cicutæ poculum hausisse, quod tamen apertè falsum est, & in Chronologiam impingit. Mortuus enim est Socrates anno I. Olympiadis XCIV. teste *Diogene Laërtio*, L. II. in vitâ ejus, Segm. 44. qui est annus mundi 3553. De Aristotele verò ipse Patricius dicit, eundem anno III. Olympiadis CXIV, qui est annus mundi 3627. decessisse, qui certè anni si à se invicem subducantur, evidens erit Aristotelem non XLIII. sed LXX. anno post Socratem mortuum esse. Parilis auctoritatis & *Eumeli* testimonium existit, utpote qui multa falsa de nostro hoc Philosopho memorat. Dicit enim eundem se Platoni triginta annos natum in disciplinam dedisse, nec non annô ætatis septuagesimô mortuum esse; in quo tamen

utroque à *Diogene Laërtio* reprehenditur, Lib. V. Segm. 6. p. 272. ubi ita: *Hic verò* (nempe Chalcide:) *ut ait Eumelus in quinto historiarum, aconitum bibens, mortuus est, septuagesimo ætatis anno. Idem verò refert, ipsum Platoni trigenarium se in disciplinam dedisse, sed profectò fallitur. Vixit enim tres & sexaginta annos: septimodecimo autem ætatis anno Platonem audire cœpit.* Consentiunt Diogeni *Dionysius Halicarnassæus*, *Apollodorus*, aliique §. IV. citati ad unum omnes. Tantæ jam veritatis cùm sit testimonium Eumeli, quantum ei fidendum sit cuivis facile in oculos incurrit. *Hesychium Milesium* quod attinet, ille ex aliorum relatione hoc saltem refert, nihil autem exprimit, aut firmiter statuit, unde nostræ sententiæ jam obfirmatæ nihil plane officit. Sequitur *Svidas*, qui pariter hac de re nihil certi habet, sed postquam sententiam illam proposuerat, quod Aristoteles haustô aconitô perierit, statim subjicit: *alii verò ipsum morbô decessisse dicunt.* Ad testimonium tandem *J. Lipsii* allegatum regerimus, Auctorem hunc, ceu notum, Stoicæ Sectæ multum tribuisse: Stoicos autem αὐτοχειρίας Patronos fuisse patet ex *Diogenis Laërtii* Lib. VII, ubi vitam Zenonis describit, Segm. 130. p. m. 447. *Epicteti* Enchiridio, c. 23. p. m. 9. *Arriani* Comment. in Epictet. Lib. I. c. 24. p. m. 145. *Senecæ* Epistol. 69 & 70. nec non ipsô *Lipsio*, Lib. III. Manuduct. ad Stoic. Philos. Dissertat. XXII. p. m. 199. Unde non mi-

mirum, quod in subsidium Stoicæ opinionis Aristotelis etiam exemplum, falsâ licet relatione fundatum, avidè protraxerit Lipsius. Sanè ex istis Senecæ verbis id probari haud poterit, utpote qui Aristotelem non haustu veneni periisse, sed saltem Athenis aufugisse dicit, quod etiam nos ultrò concedimus.

§. XI. Sequitur jam altera opinio illorum, qui Aristotelem semetipsum in Euripum præcipitâsse memorant, idque exinde, quod causam fluxûs & refluxûs ejus investigare non potuerit. Sed neque hæc melioris est conditionis quàm prior. Nam (1) valde adhuc dubium est, num Euripus ille, qui inter Eubœam & Bœoticam situs fuit, & aliàs *Chalcidicus* vel *Euboicus* dictus, statam atque certam undarum reciprocationem habeat. Equidem *Pomponius Mela*, Lib. II. de Situ orbis, c. 7. docet, eundem *septies die & septies nocte fluctibus invicem versis adeò immodicè fluere, ut ventos etiam ac plenis velis navigia frustretur. Strabo* verò Lib. IX. Geograph. c. 5. p. m. 465. *Suidas* in voce Εὔριπος, p. m. 1093. & suprà memoratus *Eustathius* unà cum aliis Euripum septies tantùm viginti quatuor horarum spatio reciprocari tradunt. Attamen statum hunc Euripi æstum adversâ fronte cum vero pugnare *Tanaquil Faber*, lib. I. Epist. Critic. Epist. XIV. p. m. 49. observat, atque contrarium potiùs constare dicit, tùm sui ævi hominum peregrinationibus, quæ scripto mandatæ

sunt, tùm complurium è Veteribus testimonio. Et sanè *Claudianus*, *Statius*, *Seneca Tragicus* & alii apud *Hoffmannum* in Lexic. Universs. Historico-Geograph. sub voce Euripus, Tom. I. p. 625. Euripum non septies, sed incertis undis exæstuare perhibent. Clarè etiam hanc rem insinuat *Livius*, Lib. 28. Histor. c. 7. p. m. 723. Tom. II. Oper. *Fretum ipsum*, inquit, *Euripi*, *non septies die*, *sicut fama fert*, *temporibus statis reciprocat: sed temerè in modum venti nunc hûc*, *nunc illûc verso mari*, *veluti monte præcipiti devolutus torrens rapitur*, *ita nec nocte*, *nec die quies navibus datur*. Ex recentioribus conferri potest epistola *Jacob. Pauli Babini*, Soc. JEsu, de fluxu & refluxu Euripi ad Abbatem Pecoil scripta, quam curiosus ille Medicus *Jacob. Spon* Itinerario suo, Part. II. p. 62. Edit. Noribergensis in germanicam lingvam versæ, inseruit; *Francisci Placentiæ*, Neapolitani, J. U. D. Chorographia Archipelagi, Mutinæ 1688. in 4. Italico idiomate edita, p. 538. & seq. cujus excerpta dabunt *Acta Eruditorum Lipsiensia* ab anno 1688. mense Octobr. p. 522. & *P. M Coronelli* Comment. Hist. & Geograph. de Morea Negroponte & locis maritimis usque Thessalonicam, Amstelod. 1686. in 12. gallicè editus. Conf. *Act. Erudit. Lipsi.* ab anno 1687. mens. Octobr. p. 585. Ex quibus patescit, quantum inter se discrepent hodierni etiam Scriptores & testes αὐτόπται de fluxu & refluxu Euripi, in hoc tamen convenientes, *illum incertum*, *indeterminatum*

minatum atque varium esse. Uti autem fluxus atque refluxus Euripi admodùm incertus atque dubius existit, ita & incertum adhuc videtur, an Aristoteles ejusdem causam investigare unquam voluerit. Notum enim est, quod contingentium indefinitorum nulla detur scientia seu cognitio per causam. Absurdus siquidem foret, qui per causam cognoscere vellet & certò scire, quoties de anno fulgura & tonitrua sint futura, vel quoties paroxismus febrilis in ægrotante sit reversurus. Hæc enim cùm ita sint comparata, ut æquè secus vel aliter fieri possint, scientiam non admittunt, utpote quæ nonnisi ex certo & definito oritur medio, teste Philosopho *L. 1. Prior. c. 13 §. 7.* Unde & ipse passim Aristoteles scientiam tantùm ejus esse dicit, quod semper aut quod plurimum est, velut *Lib. I. Post. c. 30. Lib II. cap. 12. Lib. VI. Metaph. c. 2. & Lib. III. de Part. Anim. cap. 2.* Quodsi jam Euripi reciprocatio incerta atque indeterminabilis est, adeò ut modò sexies, modò septies, modò duodecies, modò tredecies, immò vel vicies contingat, nonnunquam etiam post aliquot tempus perpetua sit, uti ante allegati Auctores testantur: de illa certè nulla dabitur scientia, nec verisimile proinde est Aristotelem in ejus causam inquisivisse, multò minus verum erit, eundem, quod causam hanc invenire non posset, se in Euripum præcipitem dedisse.

§. XII. Sed (2) concedamus Aristotelem in genere naturam atque causam hujus fluxûs atque refluxûs in Euripo indagasse, unde his Auctoribus constat, quod eandem hic Philosophus vel ignoraverit, vel invenire non potuerit? Equidem sunt nonnulli, qui de fluxu & refluxu, tàm in genere maris, quàm in specie Euripi nihil in iis, quæ exstant, Aristotelis libris scriptum inveniri perhibent; inter quos etiam reperitur *Nicol. Cabæus*, Comment. in Libb. Meteorol. Tom. II. Lib. 2. Text. 6. quæst. 6. p. m. 32. B. & *Joh. Magirus*, Lib. IV. Physiol. Peripat. cap. 8. §. 22. attamen unde probabunt, ea tantum Aristotelem sciviſse, quæ in scriptis ipsius reperiuntur, quæ autem non exstant ignorasse? Sanè quàm clumbis sit consequentia, à scriptis Viri alicujus eruditi ad perfectam & omnimodam ejus scientiam argumentari velle, adeò clarum est, ut ulteriori dilucidatione non egeat. Constat multa ipsius scripta injuriâ temporis periisse; quis autem certo affirmare poterit, nec in illis hujus rei aliquam mentionem factam fuisse? Immò neque in illis, quæ hodienum adhuc exstant scriptis Aristotelicis æstum marinum planè silentii peplô involutum esse, ex *Problematibus* ejus, *Sect. XXIII probl. 1. Lib. de Mund. c. 4.* aliisque locis apertè constat. Quin affirmare audemus Aristoteli causam fluxus & refluxus Euripi non ignotam fuisse, præsertim si evolvamus *Problematum* ejus *Sect. XXVI.* ubi *probl. 4.* inquirens, quæ

quæ causa sit ventorum, qui flatu converso è mari in terram revertuntur, & græcis τροπαὶ dicuntur, forte, inquit, eandem horum causam esse, quæ Euripi reciprocationis. Verba ejus hæc sunt: *quid est, quod flatus moveat tropæos, id est, quos versarios aut reciprocos appellamus? an eadem ratio est, qua Euripi mari reciprocante agitantur? nam & mare & aër eatenus fertur, quatenus profluere licet. Deinde cum obice quadam amplius prograssandi licentia his tollitur, qui terra pergunt, ob eam scilicet rem, quod suæ motionis delationisque primordia parum habeant valida, tunc reciprocantur & redeunt.* Ex quibus verbis colligere licet, Aristotelem causam æstus in Euripo haud ignorasse. Nempe existimavit Aristoteles Euripum per declivem fundum fluere, cursumque suum tamdiu continuare, donec offendat loca minus depressa, tum namque reflecti & refringi rursum, perinde ut pila reflectitur ad parietem projecta. Hanc enim aquarum esse naturam, ut tamdiu fluant deorsum, quamdiu possunt, quando verò irruunt in terram, quam propulsare nequeunt, tùm repercutiuntur & refluunt. Eandemque & ventorum esse indolem dicit, unde concludit similem ob causam ventos è mari cùm obicem invenerint, qui transitum ulteriorem prohibeat in terram reciprocari. Cum ergò hoc exemplo accessus & recessus Euripi tanquam clariori & notiori ad causam tropæorum, tanquam rei magis adhuc latentis illustrandam utatur,

qui dici potest cum causam reciprocationis in Euripo penitus ignorasse. Conferatur hic omninò *B. Zeidlerus*, Præfat. Introd. in Lect. Aristotelis, in med. Egregium hic nobis rursus suppeditat argumentum paulò ante laudatus *Tanaquil Faber*, loc. cit. pag. 50. & 51. quo valdè probabile reddit, Aristoteli causam æstûs Euripi minus ignotam fuisse, exinde quia illa non adeò inventu difficilis existat. Verba ejus, licet aliquantulum prolixiora, egregia tamen, hic merentur transscribi, & hæc sunt: *An quæso ita difficile est, (quod tamen vulgo credunt) causam illius agitationis, quæ in Euripo Euboico est, pervestigare? Nullo certè negotio cuivis demonstrare possim, non modò facilem esse ejus rei cognitionem, sed non posse aliter fieri, quin perpetuò agitetur Euripus. - - Sed vide, quæso, quantula res quantum negotium confecerit. Tota enim ejus rei demonstratio non aliunde pendet, quàm ex cognita freti Constantinopolitani natura; quod fretum tale est, ut ἔκρουν, i.e. fluxum seu effluxum habeat, ἀνάκαμψιν autem, i.e. refluxum, non habeat: quod omnium Geographorum, seu illi veteres seu recentiores sint, auctoritate firmatur. Cùm autem mare Euxinum undas suas in Ægæum perpetuò lapsu evolvat, fieri non potest, ne tranquillo quidem ac sereno cœlo, quin Euripus, qui pars Ægæi maris est, agitetur. Eam rem fusiùs explicarem, ni dictum sapienti sat esset. - - Vides, Vir illustrissime, quàm id ad intelligenaum fa-*

facile homini vel mediocriter erudito sit. At Aristoteles, uti isti ajunt, non vidit. Alios sibi, alios, quibus id persvadeatur, quærant: nam non ego credulus illis. Sed inquient, utut moveatur Euripus, ejus rei causam nunquam assequi potuit Aristoteles. Id, Vir illustrissime, tale est ac si diceretur, nunquam conjicere potuisse Aristotelem, cur flumina prono potiùs alveo deferantur, quàm adverso referantur, & undis retortis origenes suas repetant, &c. Hæc *Tanaquil Faber* in epistola citata ad Illustrissimum Philippum Jaucurtium. Sed (3) posito & hoc, Aristotelem causam fluxûs & refluxûs Euripi non potuisse indagare, quis tamen tàm credulus esset, ut sibi persvaderi patiatur, eundem se propterea in undis hujus maris sepeliviſse? Profectò non adeò ambitiosus atque arrogans fuit insignis hic Philosophus, ut se pro tali habendum esse voluerit, qui omnium rerum causas exactè cognitas haberet, sed talis potiùs ejus fuit indoles, ut potuerit æquâ mente etiam aliqua ignorare: cùm optimè noverit, non unius hominis esse omnia intellectûs acie æquè perscrutari posse, sed quædam etiam aliis relinquenda esse. Unde & *Lib. II Sophist. Elench. cap. ult.* in fine veniam sibi petit, si quæ non exactè satis tradiderit, sed quædam omiserit. Concludimus ergò verbis *Nicol. Cabæi* loco supra allegato scribentis: *fabulantur aliqui (fabellam enim puto) Aristotelem tædio victum, quod causam hujus marini motûs non posset consequi, se præci-*

pitem in mare dedisse, ut, quia hunc motum se non caperet, ab ipso caperetur. Sed tamen multa erant, quæ non capiebat, ut non necesse fuerit, præcipitium quærere in mare ad sepeliendam ignorantiam.

§. XIII. Restat, ut paucis adhuc satisfaciamus testimoniis supra pro hac sententia allegatis. Inter hæc primum erat *Gregorii Nazianzeni*, quod quidem de hac violenta Aristotelis morte explicari haud poterit. Quodsi enim vocula ὧν ad Euripi reciprocos æstus respiceret, non tantùm Aristoteles, sed etiam *Homerus* se in Euripum præcipitem dedisset & fluctibus ejus submersus fuisset; dicit enim ὑφ' ὧν τεθνήκασι, *quibus uterque occubit;* ast hoc à nemine hactenus memoriæ proditum est. Id autem referunt Auctores, qui occasione Arcadicæ quæstionis Homerum vitam finiisse narrant: nimirùm cùm in Arcadia aliquando in piscatores quosdam, pediculis quærendis operam dantes, incideret, atque ad hunc modum interrogaret: Ἄνδρες ἄπ' ἀρκαδίας ἁλιῆτες ἦ ἔχομέν τι, h. e. *viri Arcades piscatores, numquid piscati sumus?* Piscatores hoc versu respondebant: Οὓς ἕλομεν λιπόμεθ' ὃς δ' ἀχ ἕλομεν φερόμεθα, i. e. *liquimus acceptos, non captos ferre necesse est.* Cujus quidem versiculi hæc erat summa: pediculos, quos cepimus, interemimus, ac proinde non habemus: quos autem capere non potuimus, in vestibus ferimus. Quod cùm Poëta intelligere non posset, mœrore con-

confectus, ex mente *Plutarchi*, *Procli* & *Valerii Max.* mortuus est. Confer *Jo. Paschium*, Diss. de Homero, Rostoch. 1687. edita, Cap. I. §. 9. Non est itaque genitivus ille ὧν ad Euripi æstus, sed potiùs ad discendi amorem & diutinam moram referendus, adeò ut sensus verborum Gregorii hic sit: Homerum quidem solutione ænigmatis à piscatoribus propositi nimis intentum, Aristotelem autem causam reciprocationis altiùs secum rimantem, sed irrito utrinque eventu, morte occubuisse. Quod ipsum de Aristotele quoque refert *Justinus Martyr*, in Cohortatione ad Græcos, p. m. 34. B. ubi ita: *Cùm* Aristoteles *Euripi Chalcidici naturam cognoscere non posset, unde propter ingens probrum & pudorem in mœrorem conjectus, morte vitam commutavit.* Idem & testatur *Cœlius Rhodiginus*, Lib. XIX. Lect. Antiq. cap. VIII. col. m. 1620. A. *Aristotelem* inquit, *summum Peripateticorum Principem adeò naturalium rerum consectatorem avidum & solertem fuisse indagatorem produnt Auctores celeberrimi, ut causam ejus mortis hinc memorent profluxisse. Legimus quippe*, pergit, *virum hunc Euripi septies die ac nocte reciprocantis naturam admiratum, causam altiùs secum librantem, quum minus voti compos evaderet, animi ægritudine contraxisse morbum, ex quo non convaluerit amplius.* Neque huic interpretationi genuinæ verborum Gregorii quidquam officit explicatio ex *Elia* Cretensi atque *Nonno* allata, sed illam potius Viri hi, aliàs doctissimi

ctissimi loco huic affingunt, fors vulgari tum temporis, at falsa, de morte Aristotelis traditione seducti. Confer. *Tanaqu. Faber* loc. cit. pag. 49. 50. Sequitur *Eustathii* testimonium, ex quo certè nullatenus perspicuè atque in specie apparet, Aristotelem Euripi undis se submersisse, sed hoc tantum generatim atque indeterminatè innuitur, eundem ibi mortuum esse. Et quidem ut notanter in græco dicitur, περὶ ὃν φασι διατρίψαντα τὸν Ἀριστοτέλην καταλύσαι τὸν βίον, h.e. *circa quem,* (Euripum scil.) *seu in cujus regione, dicunt, perhibent, commorantem Aristotelem vitam dissolvisse*, quod de Chalcide omnino intelligendum. Quæ profectò verba nihil de violentô mortis genere in se continent. Tandem quod *Johannem Vallensem* concernit, de testimonii ipsius auctoritate vel ipse *Franciscus Patricius*, hostis licet Aristotelis, dubitat: *nescio*, inquit, *quo antiquorum testimonio Johannes Vallensis hæc tradiderit.* Tom. I. Discuss. Peripat. Lib. I. p. 11. Nihil itaque solidi ac veri in eorum etiam opinione reperitur, qui Aristotelem, causam fluxûs & refluxûs Euripi penetrare non valentem, in eundem se præcipitem dedisse, fingunt.

OB-

OBSERVATIO VI.
DE LIBRIS IN ANA.

CONTENTA.

§. 1. Instituti ratio. §. 2. Libri in ANA definiuntur. §. 3. Origo illorum altius repetitur. §. 4. Systemata scientiarum & artium ex hujusmodi collectionibus orta esse ostenditur. §. 5. Progressus hujus instituti apud alias gentes. §. 6. Inprimis apud Gallos, qui terminationem ANA illis addiderunt. §. 7. Huetii de terminatione hac judicium, & quis primus illa usus sit. §. 8. Abusus hujus inscriptionis, & inde ortus ejusdem contemtus. §. 9. Syllabus Librorum in ANA juxta seriem alphabeti exhibita, unà cum supplementis necessariis in Wolffium. §. 10. Judicia Eruditorum de ejusmodi scriptis.

§. I.

QUadriennium jam elapsum est, cum *Cl. Joh. Christ. Wolffius*, Gymnasii Hamburgensis hodie Professor, Vir elegantioribus literis excolendis natus factusve, publici juris fecerit sua, ut vocat, CASAUBONIANA, sive *Isaaci Casauboni varia de scriptoribus librisque judicia, observationes sacras philologicas & ecclesiasticas, ut & animadversiones in Ba-*

Baronii Annales; quæ omnia ex schedis manuscriptis magni Casauboni, in Bibliotheca Bodlejana reconditis, ipse descripsit, & Hamburgi A. 1710. mediocri volumine in 8. imprimi fecit. Præmisit Cl. Editor collectioni huic præfationem eruditam, qua historiam librorum, qui sub terminatione ANA eruditorum Virorum facete docteque dicta, scripta & cogitata proponunt, diligentius curatiusque exponit, in originem & progressum hujus instituti inquirit, syllabum scriptorum in ANA desinentium exhibet, & demum, quid de isto scriptorum genere statuendum sit, brevibus edisserit. Quam quidem historiæ literariæ particulam egregie prorsus illustravit Vir doctus, ita tamen, ut occasionem aliis non penitus præcluserit spicilegium post messem instituendi, & præterita ab illo adjiciendi: id quod præsenti observatione per modum Analectorum faciemus.

§. II. Sunt vero libri in ANA desinentes nihil aliud, quam *Collectanea erudita, quibus singularia cogitata, acutè dicta, effata & præcepta moralia, observationes historicæ, criticæ, & literariæ, nec non judicia de Doctis & eorum libris promiscuè continentur, è quotidianis sermonibus aut scriptis clarorum Virorum, quorum nomina præ se ferunt, congesta, ac plerumque post mortem illorum ab aliis publicata.* Galli ANA illud ita exprimere solent: *Bons mots, Recontres agreables, Maximes de morale, Pensées judicieuses, Remarques scavantes,*

vantes, Prises des conversations & Observations curieuses. &c. Et certè quadrat in scripta hæc illud, quod de Clementis Alexandrini Stromatibus Auctor additionum, tertio tomo Miscellaneorum Marvillii adjectarum, p. 198. fatur: *C' est bien judicieusement*, scribit, *qu' il a donné le nom de Stromates, ou* Tapisseries *à ce Recueil; parce que comme l' on voit dans les Tapisseries toutes sortes de couleurs & de figures, on voit aussi dans les Mélanges toutes sortes de stiles, d' opinions & de pensées. On y voit des traits d' Histoire, de Critique, d' Erudition, & même des bagatelles & des plaisanteries.* Alius quidam hoc scriptorum genus cum Hispanorum *Olla Potrida* comparavit, eo quod omnis generis cibi eruditis in illis ad degustandum apponantur.

§. III. Antiquissimis jam temporibus penes cultiores gentes hic obtinuit mos, ut acutè dicta Sapientum suorum, ex ore illorum percepta, colligerent, ac scripto postmodum concepta posteritati relinquerent. De Græcis, Romanis & Hebræis id abunde probavit *Cl. Wolffius* §. 1. 2. 3. De reliquis vero Orientis populis sequentia notamus. Persas & Arabes Principum & Sapientum suorum eloquia magno numero & singulari veneratione semper asservasse doctissimi viri *Thomas Hyde*, de veterum Persarum religione, & *Edw. Pockoke*, in specimine historiæ Arab. testes sunt. Muhammedani pariter similes collectiones manibus tenent, ex eloquiis Principum & Doctorum

suo-

ſuorum, v. gr. *Nouſchirvan*, *Bourzourgemhir*, *Locmann*, *Muhammed* aliorumque congeſtas, quas ſub nominibus *Naſreddin Hogia*, *Baſſiri & Sevdai*, tanquam cimelia religioſiſſimè aſſervant, ceu videre eſt apud *Georg. Abulfarajum* in hiſtoria Dynaſtiarum, Dyn. IX. p. 358. Spectant quoque huc *Confucii*, Sinarum Philoſophi, opera, axiomatibus moralibus Sapientum maximam partem referta, ubi interdum bona & acuta occurrunt, interdum tamen etiam futilia & nullius pretii dicta, ut non ineptè *Dn. Chriſt. Thomaſius*, in Colloq. Menſtr. Auguſt. 1689. p. 605. illa cum Scaligeranis & colloquiis menſalibus D. Lutheri comparaverit. Inter Manuſcripta, quorum editionem *Athanaſius Kircherus* pollicitus eſt, in fine Muſæi Romani p. 65. 66. mentio fit operis eximii & ſubtilis Apophtegmatum Brachmani cujusdam, quod ex effatis Philoſophorum apud Indos congeſſerat; ſed nunquam lucem vidit opus illud. Solebat enim plura promittere Kircherus, quam humeri ejus ferre poterant.

§. IV. Nec ſua probabilitate deſtituitur conjectura, quam affert *Auctor eruditæ præfationis in Menagiana*, qua exiſtimat, ipſa ſcientiarum & artium ſyſtemata ſuos collectaneis hujusmodi, è dicteriis Eruditorum compilatis, debere natales. Siquidem docentes quondam non in calamum ſuas dictabant lectiones, ut notatum eſt *in Obſerv. Hallenſ.* Tom. I. Obſ. II. §. 7. ſed diſcentes quondam doctorum ſuorum inventa & axiomata,

mata, quibus doctrinas suas superstruebant, ex discursibus eorum privatis exceperunt annotaruntque; quæ successores eorum postmodum, magis magisque excoluerunt, usque dum tandem disciplinæ in eam coaluerint methodi formam, qua nostris adhuc temporibus tractantur. Ipsum audiamus Auctorem laudatæ præfationis ita differentem: *Cela est indubitable, puis qu' il est constant, que les Philosophes ne savoient presque rien, que ce qu' ils apprenoient des autres Philosophes qu' ils écoutoient; car il ne faut pas s' imaginer que la Philosophie & les sciences, s' apprissent allors de la maniere qu' on les apprend aujourd' hui dans les écoles: les Philosophes ne dictoient pas; ils discouroient devant leurs disciples assemblez ou chez eux, ou dans quelque lieu commode, & leur faisoient des entretiens sur les Principes qu' ils soutenoient, & sur toutes les matieres qui en dependoient. Ceux qui les écoutoient en profitoient autant que leur mémoire étoit heureuse pour garder fidelement ce qu' ils entendoient, ou ce qu' ils écrivoient sur le champ ou lorsque l' entretien étoit fini.* Equidem non arridet ista Auctori der Auserl. Anmerck. Tom. 2. Obs. 8. §. 6. p. 163. scribenti: Das gläube ich dem Auctori der Præfation über die Menagiana zu gefallen nicht/ daß auch die Wissenschafften aus diesem Brunquell geflossen/ indem selbige nicht sowol aus denen geschriebenen Büchern/ als aus ihrem Flor und Wachsthum zu beurtheilen seyn. Den

es haben die Weisheit und andere Wissenschafften geblühet/ ehe die Leute noch von denselben gewisse Bücher und Systemata verfertiget/ auch muß man sich der alten Gelehrsamkeit so verstümmelt und unvollkommen nicht einbilden/ als wenn die Wissenschafften nicht zu ihrer Zeit in solchem Flor gestanden/ als heutiges Tages/ sondern daß sie/ von einem Welt-Weisen biß zum andern/ erst hätten zusammen gestoppelt/ und zu solcher Vollkommenheit gebracht werden müssen/ weil man mit Warheit sagen kan/ daß die ältesten Welt-Weisen die besten und gründlichsten Wissenschafften besessen. Sed non videtur mentem Auctoris percepisse. Ille siquidem non scientias ipsas ex hujusmodi collectionibus Sapientum vult promanasse, sed systemata illa & scientiarum compendia, quæ à veteribus habemus, inde orta esse cum specie veri existimat.

§. V. Ceterum laudabile hoc Veterum, effata clarorum Virorum, ludicra inprimis & faceta, ex ore & schedis illorum edendi institutum felici postmodum successu per varias gentes ad nostra usque tempora continuatum fuit. Sic Italorum Bibliopolia abundant libris sub titulis *Facetie, Motti Arguti, Burle &c.* editis, quorum præcipua cuidam *Piovano Arlotto* ,vulgo tribuunt. Hispani Ducis sui *Ossonensis* egregiè dicta celebrant, aliorumque Eruditorum, quæ in *Floresta & Aphorismis Antonii Peretzii* congesta reperiuntur. Ex Germanorum vero scriptis merito huc

Cl.

Cl. *Wolffius* §. 6. post alia refert Lutheri Colloquia Mensalia, de quibus varia etiam Eruditorum judicia adducit. Addendus tamen his erat, diversus à Colloquiis illis liber, sed ad eundem collimans scopum, quem Jenæ A. 1664. in Fol. excudi fecit Phil. Saltzmannus, hoc præmisso rubro: *Singularia Lutheri*, i. e. Alle geistreiche heroische und nachdenckliche Reden und Worte/ welche in allen teutschen Schrifften D. Martin Luthers zu finden ꝛc. Monet Collector in præfatione, quod in eo aphorismos & apophthegmata Lutheri ex Tomis Operum, quin immo etiam ex Colloquiis mensalibus collegerit; non omnia quidem, sed tantum illa, in quibus Lutherus fuerit Lutherus.

§. VI. Galli, ut in omni fere rei literariæ parte, ita & in hoc studio singularem prorsus præstiterunt operam. Vix enim dimidium elapsum est seculum, cum frequentioris apud eos usus esse cœperit, illustrium & doctorum Virorum acute dicta, ex ore illorum, curatius colligere & tumultuario servato ordine in publicam emittere lucem. Cum vero facile adverterent, promiscuos hosce Eruditorum discursus in unum quidem volumen cogi, uno tamen titulo comprehendi minime posse, hoc adhibuerunt artificium, ut fœtus Scriptorum nominibus parentum suorum insignirent, id est, nomini Auctoris, cujus effata publicabant, unicam tantum adjicerent terminationem A N A, Scaligeri, v. gr. dicteria

inscribentes *Scaligerana*, Cardinalis Perronii *Perroniana*; Ægid. Menagii *Menagiana*, & ita porro. Barbarismus equidem Editoribus fuit objectus, eo, quod nomina propria aliarum lingvarum misere in latinum convertisse visi fuerint. Adducit eam in rem observationem Abbatis cujusdam C** Auctor additionum & correctionum, ad Mr. de Marville Melanges d'histoire & de litterature adjectarum, Tom. III. p. 234. qui ita: *Y a-t-il rien de plus pitoyable à nos faiseurs d'Ana, d'avoir dit barbarement* Chevræana, *pour* Caprellana, *&* Sant-Evremoniana, *pour* Sancte-Vermondana. Idem tamen Auctor rectè monet, quod Editores horum librorum nequaquam intenderint nomina gallica latinè reddere, sed iisdem solum terminationem latinam addere. *On pourroit repondre à cette remarque*, inquit, *que les Auteurs des* Ana, *n'ont pas pertendu latiniser les noms de Messieurs Chevreau & de St Evremont; mais seulement leur donner des terminaisons latines, selon de conseil de Mr. Menage. Je ne dirois pas* Vaudemont, *dit ce fameux Grammairien, la terminaison de ce mot n'étant pas latine; je ne dirois pas non plus* Vallemontanus, *ce mot étant trop éloigné de celui de Vaudemont. Je dirois* Vaudemontius. *Exemple qui montre qu'on a pu dire* Chevræana *&* Sant-Evremoniana, *pour Chevreau & St. Evremont.*

§. VII. Quæsitum nuper fuit inter viros doctos, undenam factum sit, ut terminatio ista in

ANA

ANA nominibus Auctorum fuerit adjecta, & quis primus illam usurpaverit? rem optime expedivit *Petrus Daniel Huetius*, in epistola quadam, Parisiis A. 1702. d. 7. April. ad P. de la Duquerie, Soc. JEs. data, quam exhibet *Mr. l'Abbe de Tilladet*, dans ses dissertations sur diverses matieres de Religion & de Philologie, Hagæ 1714. in 12. publicatis, Tom. II. Dissert. 18. p. 107. sqq., quæ cum argumentum hoc apprime illustret, digna nobis visa est ut quoad potiora huc transscribatur. Ita vero Huetius scribit: *La question que vous me faites de sa part sur l'origine de ces Titres en* ANA, *qui sont si fort à la mode m'a fait faire des reflexions, que je n'y avois jamais traites. Voici ce qui m'a passé par l'esprit sur cette matiére. Premierement il est assez ordinaire aux Geographes Grecs de donner des Titres pareils, tirez des Regions dont ils entreprennent la description. Tels sont les Attiques, les Corinthiaques, les Eliaques, & autres semblables, de Pausanias. Les Historiens en usoient de même, quand ils intituloient l'Histoire d'une Nation. Tels sont les Persiques, & les Indiques de Ctesias. Tels étoient les Babyloniques de Berose, les Ægyptiatiques de Demetrius, les* Cumana *d'Hyperochus, & une infinité d'autres semblables. Ils donnoient souvent les mêmes Titres à des Histoires particuliéres, qui avoient une grande connexité avec l'Histoire générale d'une Nation. Les Ethiopiques d'Heliodore sont de ce genre: car encore que son principal sujet soit les Amours de*

Théagéne & de Chariclée, elles ont néanmoins une relation si etroite avec l'Histoire générale d'Ethiopie, qu'il en a tiré le Titre de son Ouvrage. Il faut dire la même chose des Babyloniques d'Jamblique dont Photius nous a donné l'extrait. Mais tout cela n'est pas nos ANA, *quà proprement sont des Recueils de quelques Discours remarquables, de Sentences, d'Apophtegmes, de bons mots de Gens renommez, & principalement dans les Lettres. Si vous étendez ces Recueils jusqu'a leurs actions, je vous alléguerai les* Jasoniana, *citez par Strabon; car n'est-ce pas ainsi qu'il faut traduire ἰασονεια. Je vous alleguerai encore les Dionysiaques de Nonnus, qui est un Poëme contenant les Faits & Gestes de Bacchus. Ces Vers que les Anciens ont nommez* Orphica, *n'étoient pas d'Orphée, mais ils renfermoient la Doctrine qui étoit attribuée à Orphée. Theopompe, & Hermippus donnérent le nom de Philippiques aux Histoires de Philippes Roi de Macedoine, qu'ils avoient composées On a donné le même nom de Philippiques aux Oraisons que Demosthenes avoit écrites contre ce Prince, & qu'il avoit intitulées κατα φιλιππου. Ciceron prit de là occasion de donner le même nom à celles qu'il fit contre Antoine, mais Plutarque les a apellées* Antoniennes. *Le Philosophe Xenocrate avoit écrit πυταγόρεια. Demetrius Phalereus,* Æsopica: *Ænesidemus πυῤῥώνεια. Ces terminaisons sont des* Ana *à la Grecque: & si Ænesidemus avoit écrit en ce tems ci, & qu'il eut voulu se conformer la mode, peut-*

peut-on douter qu'il n'eut donné à son Ouvrage le nom de Pyrrhoniana? *Il me souvient d'avoir vû quelque part les Ouvrages du Philosophe Plotin, citez sous le nom de* πλωτίνεια, *c'est à dire, dans le langage d'aujourd'hui,* Plotiniana. *Monsieur Cotelier donna au Public il y a quelques années un Recueil d'Ouvrages attribuez à Saint Clement, que l'Antiquité a citez sous le nom de* Κλημέντια, *c'est à dire,* Clementia. *Les* Scaligerana *ont mis en usage dans ce Siecle cette sorte de Titres, & je vous beaucoup d'aparence qúe Messieurs du Vassan sont Auteurs du Nom, comme de la Compilation. Je trouve dans leur Famille l'exemple d'un Titre semblable, qui leur a servi de modelle, ou qui a été formé sur le leur. Ils etoient Neveux des celebres Messieurs Pithou, Pierre & Francois. Monsieur Pithou Conseiller au Parlement de Paris, avoit fait un Recueil des Dits notables de Francois Pithou, & l'avoit intitulé* Pithœana. *Le seul hazard auroit-il fait que les Scaligerana & les Pithœana se rencontrassent dans la même Maison? Ce Recueil est entre les mains de Monsieur Pelletier, ci-devant Controlleur Général.*

§. VIII. Inventa sic à Gallis methodo, una voce exprimendi, quod alias non nisi prolixa circumlocutione fieri poterat, hi librorum in ANA tituli tam familiares postea in Republ. literaria sunt facti (Galli dicunt *a la mode*) ut integram fere hodie constituant Bibliothecam. Immo adeo usus harum inscriptionum obtinuit,

ut eædem talibus demum adplicatæ fuerint collectionibus, quæ historias saltem ridiculas, & jocos sæpe scurriles comprehendebant. Cujus farinæ esse Anonymiana, Arlequiniana & Taubmanniana, facetiis & salibus inconditis maximam partem repleta, constat. Atque hinc demum factum est, ut dubitaverint Eruditi, num titulum istum adhibere amplius consultum sit. Ita de *Dav. Ancillonii* Miscellaneis Critico-Literariis observat Cl. *Wolffius* §. 18. illa consulto ab Editore filio non inscripta esse *Ancilloniana*, quod exosus jam videretur iste titulus. Pariter personatus ille *Mr. de Vigneul Marville* Miscellanea sua Historico-Literaria *Marvilliana* inscribere noluit, utut nihil aliud continerent, nisi judicia & singularia eloquia ex ore Ducis *de Montausier*, *Euremontii*, *Puteanorum*, *Tilii* aliorumque in Republica literaria illustrium Virorum, ab *Abbate de Garence* collecta. Hunc enim sub Marvillii nomine latere non solum confirmare videtur monitum, quod, tertio Tomo meæ editionis præmissum, ita habet: *Les Mêlanges d' histoire & de litterature qui parurent l' année derniere sous le nom de Mr. de Marville, & dont je suis redevable à Mr. l'Abbé* de Garence, *homme savant & poli, ayant été bien reçus du Public, je suis obligé d' en donner une second Edition.* Sed idem quoque observant *Memoriæ Trevoltienſium*, A. 1701. mense Junio, & *le Nouveau Mercure Galant*, A. 1702. p. 126. Unde non est, ut *Auctor de la defense*

de

de Mr. de la Bruyere & de ses Caracteres contre Mr. Marville, Amstel. 1702. in 12. editæ, in præfatione asserat, sub ficto hoc Marvillii nomine Religiosum quendam Cartusianum dilitescere. Quomodo & *Cl. Diecmanni* conjectura, qua *Rich. Simonium* sub larva ista latere existimavit, rejicitur im Ausführlichen Bericht von neuen Büchern / p. 991. Vide ceterum excerpta ex his Miscellaneorum Marvillii Tomis in den Hannöv. Auszügen / A. 1700. p. 9. 1701. mens. Majo, p. 38. & A. 1702. mens. Febr. p. 3. in *Act. Erud Lipsi.* 1702. p. 242. & Tom. III. Suppl. p. 385. Confer, qui non adeo bene de iisdem judicat, *Bernardum*, dans ses Nouvelles de la Republ. des Lettres 1702. Tom. I. p. 537. & aliorum judicia à *Cl. Wolffio* §. 21. collecta.

§. IX. Jam ad ipsos nos accingamus libros in ANA desinentes, & illorum non editorum saltim, sed & ineditorum & affectorum syllabum serie alphabetica exhibeamus: quorum posteriores asteriscō à prioribus distingvemus, omissos à Cl. Wolffio simul adjiciemus, reliquos vero ab eo adductos supplementis necessariis illustrabimus. Nimirum sunt hujus commatis scripta sequentia.

I. Anonymiana Paris. 1700. & Amstel. 1701. 12. Vide *Wolffium* §. 24. Inter illa, quæ rem literariam in hac collectione illustrant, unicus fere nominari meretur discursus de Tacito; in quo tamen varias simul contradictiones observavit *Mr. Bayle* Diction. voce *Tacite*.

II. ARLEQUINIANA Pariſ. 1694. 12. Vid. *Wolffius* §. 30. Similes prorſus in hac collectione continentur floſculi, ac legere licet in der luſtigen Geſellſchafft / Studenten-Confect / gepflückte Fincken / im Geiſt von Jan Tambour, item in *Ottonis Melandri* joco-ſeriis, *Caſp. Ens* apparatu convivali, & libris Epidorpiſmatum, ac aliis hujus furfuris libellis. Quæ cum ita ſint, inepte omnino judicat Auctor der erbaulichen Gedancken über D. Nic. Hieron. Gundlings Otia, Noriberg. 1707. in 8. impreſſarum (quem *Oelvenium* quendam eſſe refertur in der Neuen Bibliotheque, Tom. 2. p. 143.) in præfat. p. 3. exiſtimans, otiis illis Gundlingianis titulum *Arlequinianorum* magis convenire, quam ut *Gundlingiana* inſcribi debeant. Sed merito depexum eundem dedit Gundlingius in præfat. ad Part. 3. Otiorum, ubi & p. 87. ſqq. ſtylum ſuum jocis & ſale conditum ſatis ſuperque ab adverſariorum cavillationibus vindicavit. Neſcio quoque, num ab omni partium ſtudio alienus fuerit *Cl. Struvius*, cum in Introduct. ad notit. rei lit. Cap. 8. §. 11. p. 402. ſcripſit: *Taceo jam Arlequiniana & Wigandiana, quorum illa jocoſa hæc Antipietiſtica continent* Certe qui non prorſus obeſi eſt naſi facile videt, quo iſta Wigandianorum cum Arelquinianis conſociatio tendat.

III. * BALUZIANA. Horum edendorum ſpes facta eſt orbi erudito in præfat. ad Fureteriana.

IV. *

IV. * Besseliana. Ita appellare liceat Miscellanea Philologico-Critica, studio *M. Friderici Besselii*, Tilsa-Prussi, Critici egregii quondam congesta, quæ hic Regiomonti apud Clariss. M. Fischerum una cum aliis Besselii laboribus in Manuscripto latent, & in se continent eruditas in Auctores Classicos observationes & conjecturas, reconditarum phrasium, ut & locorum vexatorum explicationes & luxatorum restitutiones hisque similia, digna quæ ederentur.

V. * Bignoniana. Vid. *Wolffius*, §. 31. & Auctor præfat. ad Menagiana.

VI. Boineburgiana. Vid. *Wolffius*, §. 29. Vitam *Joh. Christiani, L. B. de Boineburg* exhibet *Struve* fasciculo 3tio. Act. Literar. ex MSCtis erutorum, statim ab initio.

VII. * Borboniana. Vid. *Wolffius*, §. 31.

VIII. * Bourdelotiana. Vid. *Wolffius*, loc. cit. Hæc videntur ludicra & facete dicta in se continuisse. Characterem enim Bourdelotii his describit verbis *Mr. Ancillon*, dans ses Memoires, p. 231. 232. *Mr. Justel & Mr. de Launay à qui le caractére enjoué de Mr. l'Abbé Bourdelot Medicin de Mr. le Prince, & son bel esprit, ne plaisoit point du tout, furent le trouver un jour pour lui donner des avis là-dessus. Ils lui repréſenterent qu'un homme comme lui ne devoit point sortir de la gravité attachée à un habile Medicin, & à un savant Philosophe; qu'il se deshonoroit de*

de turlupiner comme il faisoit, qu' à la fin il donneroit mauvaise opinion de sa capacité à Mr. le Prince, & qu' ils croyoient devoir comme ses bons amis, lui représenter les inconveniens qui lui pouvoient arriver de cette maniére d' agir, si peu convenable à ce qu' il étoit. Il les écouta tranquillement & les remercia tres-doucement; mais il leur dit qu' il avoit commencé ce train de vie, qui l' acommodoit assez & qu' ainsi il ne pouvoit le quitter. Je voudrois, Messieurs ajoûta-t-il, pouvoir m' en défaire pour vous faire plaisir. Eh Monsieur repliquerent ces Messieurs, nous n' avons en cela d' autre interêt que le vôtre. Nous apprehendons que vous ne diminuiez la bonne reputation où vous êtes dans le monde, mais principalement auprès de S. A. Si ce n' est que cela qui vous inquiéte, dit l' Abbé, en se levant pour prendre un papier sur sa table, tenez, lisez ce papier, & vous verrez qu' on gagne plus à être fou comme je suis, que Philosophe comme vous êtes. C' etoit une donation de la Baronnie de Condé que Monsieur le Prince lui avoit faite depuis quelques jours.

IX. BRUMMERIANA. Ita inscripsit Opuscula Juridico-Historico-Philologica Polyhistoris celeberrimi *Fridr. Brummeri*, Lipsiensis, partim olim typis mandata, partim ex MSCtis nunc primum edita, *Georgius Beyerus*, dum illa Lipsiæ 1712. in 8. publicaret. Continentur in hac collectione sequentia Brummeri scripta, (1) Commentarius ad Legem Cinciam de salariis Ad-

Advocatorum, deque donationibus. (2) Exercitatio de Scabinis antiquis, ævi medii & recentioribus. (3) Exercitatio de Locatione & Conductione. (4) Declamatio contra otium, studiorum pessimam pestem. (5-9) Panegyrici Thom. Reinesio dicti scriptique annis 1661-1665. (10) Carmen heroicum in memoriam nati Redemtoris, in æde Paulina recitatum. (11) Gratulatio nuptiis Sternbergerianis dicta. Confer. Act. Erud. Lipsi. 1712. p. 506. Ceterum brevem vitæ & lugubrium Brummeri fatorum historiam exhibent *Cl. Beyerus*, in præfat. ad Brummeriana, & *Tentzelius*, in den Monathl. Unterredungen / A. 1696. p. 6.

X. Burmanniana. De his ita scribit *Christoph. August. Heumannus*, in Schediasm. de libris Anonymis & Pseudonymis, p. 183. *Quæ nuper una plagula in 12. Amstelodami 1710. edita sunt* Burmanniana, *quin* à Clerico *profecta sint, vix dubitandum videtur, ob notam controversiam, quæ nuper ei cum Burmanno intercedere cœpit.* Est hæc illa controversia, quam circa Petronii editionem *à Petro Burmanno* Anno 1709. 4. procuratâm movit *Johannes Clericus*; de qua vide *Burmanni* præfat. ad Petronium; item ejusd. scriptum Ultraj. 1710. 12. sub tit. *le Gazettier menteur*, editum. Sed falli *Cl. Heumannum*, in detectione Auctoris Burmannianorum jam observavit Scriptor der Neuen Biblioth. Tom. II. p. 162. ubi ita: die närrische und alberne Charteque,

teque, welche unter dem Titul Burmanniana ans Licht kommen / glaubt unser Herr Auctor habe Clericum zum Verfertiger / weil dieser mit Herrn Burmann im Streit lebe. Ich bin hingegen gewiß / daß kein Mensch / der die gemeldte Burmanniana nur mit ein wenig Verstand ansiehet / auff den Clericum fallen werde. Der Auctor der Burmannianorum ist ein junger höckerigter Dr. Philosophiæ & Juris in Utrecht / dem wegen seines Muthwillens nicht lang hernach eine Straffe dictiret worden: und es ist nicht weniger bekañt / wer den Wind in diese Pfeiffe geblasen habe. Scilicet, nil nisi scommata & injuriosa in se continent hæc Burmanniana in Cl. Burmannum vibrata, quæ tamen iste indigna judicavit quibus aliquid reponeret.

XI. * CALVINIANA. Horum mentionem facit *M. Joh. Theod. Leubscher*, in historia Scaligeranorum, Witteberg. 1695. per modum disputationis edita, §. ult.

XII. CASAUBONIANA. Hæc ipsa illa sunt, quæ *Cl. Wolffius*, è Bodlejana descripta & notis eruditis aucta, Hamburgi 1710. 8. publici juris fecit, quæve in se complectuntur, vel judicia de variis scriptoribus, vel illustrationes locorum S. Scripturæ, vel observationes quasdam philologicas & ecclesiasticas, vel denique in Baronium animadversiones. Confer. *Acta Erud. Lipsi.* 1710. p. 191. & ipsum doctissimum Auctorem præfationis ad Casauboniana, §. 34. qui inter alia

alia ita: *De Casauboniana his ita velim statuat benevolus Lector, ut illa ab istis nævis, qui in aliis ejusmodi scriptis obvii esse solent, prorsus immunia adeoque reprehensione libera existimet. Neque enim hic inveniet jocos aut sales liberiores, nedum obscœnos & in pudorem injurios: non inveniet judicia iniqua aut acerbiora, nisi aliquando justus dolor vel invito expresserit, quod rarius accidit: non inveniet quidquam, quod ex ipsius Casauboni non quidem ore, sed quod plus valet, ab ipsa ejus manu non fuerit profectum, cum pleraque, quæ hic exhibentur, ipse ex autographis ejus descripserim, cetera autem summa cura ex ejus schedis ab alio fuerint in chartas conjecta. Nec de erroribus solicitus esse debebit Lector, quos certè perpaucos fore Viri & doctrina & candor persuadet, pauciſſimos autem esse necesse est, cum ista non in amicorum consortiis effusa, sed intra Musæum in literas aliqua cura sint relata. Si quæ obscurius vel brevius dicta sunt, meæ forte notæ huic incommodo medebuntur, quas hoc consilio adjeci.*

XIII. Chevræana. Parisiis 1697. & Amstel. 1700. Vol. 2. in 8. Videatur *Wolffius*, §. 17. Adde *Acta Erud. Lipsi.* 1697. p. 233. & *Eccardi* Monathl. Auszüge / A. 1700. p. 247. ac 477. Notabile inprimis hoc in illis est, quod cum ipse *Chevræus* Gallus natione fuerit, Germanorum tamen causam contra Scaligerum, Perronium, Bouhoursium & alios nominis Germanici ob-

obtrectatores optimè egerit. Vid. *Mr. Ancillon*, Memoires, p. 160. Quod etiam, raro alias exemplo, ex popularibus ejus inviti fecerunt, *Mr. Morery*, in Diction. p. m. 104. Edit. Amstel. 1698. *Rol. Maresius*, L. 1. Epist. 43. *Basnagius*, Hist. des Ouvrages des Scavans, A 1694. p. 499. *Bayle*, Diction. sub voce Gretser aliique, optimè de Germanorum studiis judicantes: quæ testimonia domestica superciliosis Gallis opponi possunt, quando se solos sapere svaviter somniant.

XIV. COLOMESIANA, Amstel. 1706. in 12. & Hamburg. 1709. in 4. Vid. *Wolffius*, §. 11. De vita & studiis Pauli Colomesii consule pluribus *Bailletum*, Jugem. des Scavans, Tom. II. Part. I. p. 33, *Marvillium*, Melanges, Tom. I. p. 263. *Balium*, Diction. Tom. I. p. 950. & *Jo. Albertum Fabricium*, præfat. ad Opera Colomesii junctim edita.

XV. CONRINGIANA. De Conringianis epistolicis, Helmstadii 1708. 12. editis vide *Wolffium* §. 29. & die Neue Bibliotheque, Tom. I. p. 497. De Conringianis ineditis, quæ Morhofius quondam in MSCto vidit, vide den Ausführl. Bericht von neuen Büchern / p. 675.

XVI. * DAUMIANA. Vid. *Wolffius*, §. 31. *Struve*, Introd. p. 403. & der Ausführl. Bericht / p. 675. Exiguam illorum edendorum spem orbi erudito reliquit Cl Lœscherus. Siquidem in Initiis Academicis, circa finem Lit. U. 3. scribit: *Quæ olim pollicitus esse videor opera diffusiora Hi-*

Historiæ Literariæ universæ (quæ inter etiam retulerat Lexicon elegantioris literaturæ ex libris in ANA concinnatum, & *Daumianis* ac *Melanchtonianis* auctum) *supra meas vires esse & cumprimis in hoc, quo fungor, munere perfici à me non posse, fateor.* Sua tamen aliis offert collectanea, qui similem forte laborem sint suscepturi. Ceterum, qui fontes scire desiderat unde Daumiana ista conscribi facile possent, legat velim *M. Joh. Casp Læscheri* memoriam *Christ. Daumii*, Witteb. 1701. in 4. editam §. 12, quæ etiam extat in *R. H. Rollii* Memoriis Philosoph. Decade 2.

XVII. Euremoniana, Amstel. 1701. in 8. Vid. *Wolffius*, §. 22. Conf. die Hannöverische Auszüge / A. 1701. Mense Januar. p. 56. sqq., quæ vitam & singularia de Euremontio adducunt. Addimus duo Eruditorum de Viro hoc judicia, quæ studia ejus nobis describunt, & quid de scriptis ejus statuendum sit aperiunt. Alterum est *Joh. Franc. Buddei*, in hist. Crit. Theologica MSta, & Jenæ A. 1706. sq. in Collegio privato tradita, Prolegom. Cap. I §. 17, quod ita nonnemo auditorum concepit. Monsr. Saint Euremont ist ein Cavallier gewesen / hat auch anfänglich einen Soldaten abgegeben / weil er aber beym Könige in Franckreich in Ungnaden kam / gieng er in Engelland / und ist vor weniger Zeit gestorben. Er war von excellentem ingenio, und hatte eine grosse Annehmlichkeit im

schreiben: Doch war er ein offenbahrer Epicurer/ starb auch in eben dem statu. Daher als er von einem Prediger gefragt wurde: ob er sich nicht wolte mit GOtt versöhnen/ antwortete er: ich habe so lang getrachtet mich mit meinen Affecten zu versöhnen/ und habe es nicht dahin bringen können/ vielweniger mit GOtt. In seinem Leben hat er zwar mäßig gelebt/ aber wie er selbst vorgegeben/ deswegen/ damit er der Wollust destolänger zu genüssen hätte. In seinem jugement sur les sciences formiret er das modell eines gelehrten Mannes nach sich selbsten/ und erfordert nur solche studia, die delectiren/ und wodurch man sich bey der Compagnie in æstim und honneur bringen kan. Alterum judicium est *Fridr. Wilh. Bierlingii*, dissert. de eruditione politica, Rhintel. 1708. edita, §. 6. in notis (*a*) ubi ita: *Euremontius, non equidem ob religionem, sed alias rationes exul, A 1703. Londini mortuus est. Etsi literis ex instituto operam haud dedisset, castra in juventute secutus, politissimi tamen ingenii & acris judicii vir erat:* Er hatte recht cavalierement studiret.

XVIII. FURETERIANA, Paris. 1696. 12. vid. *Wolffius* §. 16. conf. *Marville*, Melanges Tom. I. p. 258. 259. De Dictionario universali Fureterii videsis etiam *Morhofium*, Polyh. Tom. I. L. 4. c. 4. §. 13. & *Acta Erud. Lipsi.* A. 1690. p. 321.

XIX. *

XIX. * Grabiana. Hoc titulo appellare quid vetat notas doctissimas, quas libris Bibliothecæ suæ quondam adscripsit Theologus ac Polyhistor egregius *D. Martinus Sylvester Grabe*, Professor primum Theologiæ Academiæ Regiomontanæ & Bibliothecarius Elect.; deinceps Superintendens in Pomerania Brandenburgica Generalis, qui Colbergæ A. 1686. d. 23. Novembr. obiit, magnorum in Republ. literaria filiorum dignissimus Parens. Heluo librorum erat ὁ πάνυ Grabius, quorum rarissimos pariter ac selectissimos in variis peregrinationibus apud exteros non conquisiverat modo, sed & stationi quietæ admotus sedulo perlegerat. Stupenda mihi visa semper est Viri incomparabilis in pervestigandis Auctoribus, tam veteribus quam recentioribus, tam sacris & ecclesiasticis quam profanis, diligentia. Præterquam enim, quod judicia Eruditorum varia & editiones variantes cuilibet librorum suorum in frontispicio præmiserit, singulaque foliorum errata ipse correxerit: innumera etiam in ipso textu vel obscurè, vel falso dicta explicavit, emendavit, castigavit, & remittendo ad alios Auctores auxit. Sed, quæ Bibliothecarum sunt fata, dispertita inter hæredes fuit Bibliotheca hæc insignis, ad sex millia voluminum sese porrigens; magna etiam ejus portio auctionis lege fuit divendita, reliqua hinc inde distracta; pars quoque illius à filio, *Cl. Jo. Ernesto Grabe*, Prussici nominis immortali

apud exteros decore, in Angliam deportata. Utinam verò quis ex illis libris, qui Regiomonti adhuc supersunt, & in Bibliothecis tam publicis, quam privatis, ut singulare cimelium asservantur, colligeret judicia ista librorum frontispiciis præmissa, inprimis verò notas manu B. Viri illis adscriptas, ac publici juris eas faceret. Sic enim palam fieret, idem de illis ferendum esse judicium, quod de libris, notis MSCtis Salmasii, Heinsii, Scaligeri, Casauboni aliorumque Criticorum illustratis tulerunt *Morhofius*, Polyhist. Tom. I. Libr. I. cap. VII. §. 35. & *J. F. Reimmannus*, Observ. de libris raris, Tom X. Observ. Halens. Obs. VII. §. 12. p. 201. sqq.

XX. * GRONOVIANA. Vid. *Wolffius*, §. 29.

XXI. * GROTIANA. Adscribamus de his judicium *Patini*, Tom. I. Epist. CLVI. p. m. 363. edit. Paris. ab A. 1692. 12. ubi ita ad amicum scribit: *Vous serez bien aise d' apprendre que Monsieur vôtre fils a beaucoup profité de vos lettres, car il se léve matin & employe bien son tems: celui même, qu' il pourroit donner à son divertissement, est souvent employé à lire mes Borboniana, Grotiana, & Naudeana. Il rit sous cape quand il y trouve quelque chose à son gré, & cela lui arrive souvent. Aussi ces Manuscrits prennent les gens par le nez, & les empêchent de devenir de grands sots; cela me réjouit.*

XXII. *

XXII. * Jamesiana. Vid. *Wolffius*, §. 29. Conferantur de Jamesio *Blount*, in Censura p. m. 944. & Auctores ibidem citati.

XXIII. Joncourtiana. Hæc. A. 1708. in Belgio edidit *Joh. d' Outrein*, V. D. M. & Professor ap. Dordracenos, quibus vitam, genium, studia, dogmata & scripta *Petri de Joncourt*, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ apud Hagienses Ministri percenset, idque occasione scripti, quod Joncourtius, Amstel. 1707. 12. hôc titulo ediderat: *Entretiens sur les differentes methodes d' expliquer l' Ecriture & de prêcher, de ceux qu' on appelle Coccejens & Voetiens dans les Provinces Unies.* Vid. *Irenæi Philalethes*, i. e. Jac. Rhenferdii Eerste Oorsprong der Broedertwisten, p. 69. & *Lettre de plainte de Mr. Joncourt, à Mr. d' Outrein*, p. 14. à la Haye 1708. 8.

XXIV. * Melanchtoniana. Relegas velim, quæ de Daumianis fuêre notata. Horum fundamentum sine dubio fuissent Epistolæ non modo, sed & Crises Melanchtonianæ à Richtero collectæ, de quibus *Wolffius* §. 7.

XXV. Menagiana, Amstel. 1696. 12. Vid. *Wolffius* §. 13. Conf. *Acta Erud. Lipsi.* 1694. p. 156. *Tentzelii* Monathl. Unterred. 1694 p. 67. sqq. & *Placcii* Theatrum Anonym. & Pseudon. num. 2569. p. m. 635. Novissimum Diarium, *Journal Literaire* inscriptum, & Hagæ 1713. editum, Tom. I. p. 218. commemorat: *on reimprime les* Menagiana & Sorberiana. *Il seroit à souhaiter,*

que quelque habile homme y fit des Remarques Critiques, sur tout sur la premier, qui en a grand besoin. Notat ceterum quædam in Menagianis errata *Mr Marville*, Melanges Tom. I. p. 63. & p. 236. sqq., nec non *Bruyere*, in defensione caracterum, p. 58. Adponimus etiam judicium Auctoris der Auserl. Anmerckungen/ Tom. II. Obs. VIII. p. 166. qui ita: Die Menagiana sollen nach jedermanns Urtheil unter vorerzehlten Schrifften die besten seyn/ ich muß aber bekennen/ daß ich mir was grössers davon eingebildet/ als ich in der That befunden. Denn zu geschweigen/ daß die meisten darinen befindlichen Sachen nichts/ als lustige Schwencke und Possen seyn/ die ausser dem/ daß einige davon bißweilen ingenieus heraus kommen/ nichts sonderbahres an sich haben/ so ist der Zweck/ den der Menagiorum Editor, sich vorgesetzet/ und wovon der Auctor der Præfation so viel Wesens machet/ bey weitem nicht erreichet/ daß wir daher der continuation dieser Menagiana wohl hätten errathen können.

XXVI. MOYERIANA, Roterod. 1699. 8. Vid. *Wolffius* §. 20.

XXVII. NAUDEANA, quæ cum Patinianis ex editione optima Amstelod. 1702. 12. prodiere. Vid. *Wolffius* §. 23. Excerpta illorum dabunt *Eccardi* Monathl. Auszüge/ 1702. mens. Mart. p. 1. *Bernard*, Nouvelles 1702. Tom. I. p. 576. *Mercure Galant*, 1702. p. 160. & *Acta Erud.*

Erud. Lipſ. 1702. p. 225. Egregiè verò de Naudeanis his judicat *Patinus*, loco ſub *Grotianis* allegato, *Struvius* item, Introd. in notit. rei literar. p. 401. & *Auctor* der Auserl. Anmerck. loc. cit. ſcribens: vor andern haben mir wohl gefallen die Naudeana und Patiniana, weil ſelbige allerhand vernünfftige judicia von vielen Scribenten in ſich begriffen / auch mit ſolchen unzeitigen Poſſen und Schertz-Reden / als die andern / nicht angefüllet ſeyn.

XXVIII. Origeniana, i. e. *Petri Dan. Huetii* vita Origenis, examen doctrinæ & critica in opera ejus, introductionis loco præmiſſa Origenis in Scripturam Commentariis, Rothomagi A. 1668. 2. Vol. in fol. editis. Ipſe certè Huetius Origeniana ſua in hunc librorum in ANA cenſum refert, loco ſupra §. 7. à nobis adducto ſcribens: *Cette inſcription* (Ana) *me plût fort: je la trouvai courte, commode & renfermant dans un ſeul mot, ce qu'on n'auroit pû exprimer que par un long detour, & je l'adoptai auſſi tot dans mes* Origeniana. Scripſit etiam *Joh. Meiſnerus* tractatum theologico-hiſtoricum de Origene & Origenianis, qui ex editione ſecunda Witteb. 1702. 4. prodiit. Sed cave per Origeniana iſtiusmodi dictorum Origenis collectionem intelligas: cùm Origeniſtas, ſectatores Origenis, voce iſta intellexerit.

XXIX. Parrhasiana, Amſtel. 1699. & 1701. 8. Vid. *Wolffius* §. 19. Conf. *Eccardi*

Monathl. Auszüge / 1701. mense Mart. p. 50. sqq.

XXX. PATINIANA, Amstel. 1702. 12. Vid. *Wolffius* §. 23. adde, quæ supra de Naudeanis notavimus. Alia ab his sunt acutè dicta Patini, quæ collecta vide apud *Marvillium*, Miscell. Tom. II. p. 268. sqq. Nuperrimè etiam Amstel. 1712. in 12. prodiit: *l'Esprit de Guy Patin*, tiré de ses conversations, de son cabinet, de ses lettres, & de ses autres ouvrages, avec son portrait historique; qua de collectione audiamus *Auctorem* der Neuen Bibliotheque, Tom. I. p. 469. 470. qui ita: In der Vorrede wird gesagt / daß man diesem Werckgen / mit Fug den Titul Patiniana beylegen können / wann nicht schon ein andres / welchem man durch den Nahmen des Mr. Patin ein Ansehen machen wollen / denselben trüge - - Das Buch an sich selber ist nach Art der librorum in Ana, und begreifft eine grosse Menge artiger pensées über allerhand Zufälle / wiewol die literaria eben nicht zu überflüßig sind / unter denen doch auch noch die meisten von Personen handeln / so nur mit den literis initialibus bedeutet sind / daher man nothwendig eines Schlüssels bedarff / um zu wissen / welche dadurch verstanden werden. Unterschiedene Sachen finden sich darinnen / davon in den Patinianis gar keine / oder doch keine so umbständliche Nachricht gegeben wird / als hieselbst / wiewol wieder viele Sachen in den Patinianis stehen / davon hie nichts vorkommet. XXXI.

XXXI. Perroniana. Prodiêre primum Genevæ 1667. 8. accurante Dallæo Jun. quæ tamen editio multis vitiis laborat, notante *Eccardo*, in den Monathl. Auszügen / 1700. p. 254. Deinde verò junctim cum Thuanis Amstelod. 1694. 12. fuêre excusa. Vid. *Wolffius* §. 9. Conf. *Placcium*, in Theatr. Anonym. num. 1549. p. m. 381. & *Struvium*, in Supplem. ad Introd. p. 129. De his ita quondam judicavit *Morhofius*, Polyh. Tom. I. Libr. I. cap. 16. *Perroniana è Cardinalis Perronii quotidianis sermonibus congesta sunt, in quibus nonnulla ejusdem argumenti, quæ melius inter se cohærent*, ut Scaligerana. *Sunt in illis multa eximia, etsi de Cardinali Perronio contemtim judicet* Patinus, *epist. 10.* Sed in contrarium planè observat Auctor der Auserl. Anmerck. Tom. I. p. 165. Ich wolte zwar dem Herrn Morhofio hierin gerne Beyfall geben / weñ es wegen meiner obgesetzten Gründe füglich geschehen könte. Denn ich muß entweder des Perron gröbsten Unverstande / oder seiner Boßheit zurechnen / wenn er p. 16. von denen Teutschen saget / daß es die mißgünstigste und viehische Nation von der Welt / sie hasseten alle Frembde / hätten einen Bier- und Erbsen-Verstand / alle ihr Thun und Lassen sey voller Mißgunst / weßwegen auch ihre Sachen in Ungarn so sehr übel von statten giengen / sie wären betrübt / wenn es ihnen wohlgienge. Wenn ein Frantzose oder Italiäner alleine ausgienge / so

brächten sie ihn ums Leben/ welches gantz gewiß wäre. Ich schäme mich das übrige unbesonnene Zeug hinzu zu setzen &c. Videsis ceteroqui vitam Perronii Cardinalis apud *Perraltum*, Tom. II. fol. 7. sqq.

XXXII. PITHOEANA, Berolin. 1704. 8. Vid. *Wolffius* §. 27. & *Huetius*, in epistola, supra §. 7. à nobis exhibita. Aliorum Pithœanorum, Petri Pithœi, mentionem facit *Jo. Mabillon*, in Musæo Italico, Tom. I. p. 204. scribens: *Cella beati Justiniani pium horrorem affert spectantibus. Antequam is esset Patriarcha, Venetiarum Antistes vocabatur* Episcopus mortuorum, *uti Petrus Pithœus ex Seraphino in suis Pithœanis observavit.* Sed existimarem Mabillonium hic per Pithœana intelligere Petri Pithœi adversariorum subcesivorum libros II, qui extant in *Jani Gruteri* Lampade Critica, Tom. II.

XXXIII. * SALONIANA. Laudantur illa ab *Auctore* præfat. in Menagiana, & sine dubio auctorem agnoscunt Dominum *de Sallo*, Parlamenti Parisiensis Consiliarium, qui aliàs sub ficto *Hedovillii* nomine Diarium Eruditorum Parisiense *le Journal des Scavans*, A. 1665. scribere cœpit. Singularia sunt, quæ de morte ejus refert *Marville* Melanges, Tom. I. p. 297. scribens: *Il mourut la même année*, (1665.) *d'une maladie, à laquelle les enfans des Muses ne sont guéres sujets, & pour laquelle il ny a point de remedes dans Hippocrate, ni dans Galien: car il mourut de*

de déplaisir d'avoir perdu cent mille écus; c'est-à-dire, tout son bien au jeu.

XXXIV. Santoliana, Hagæ 1707. 8. Vid. *Wolffius* §. 28. Elogium *Jo Baptistæ Santolii* & Poëseos ejus lege apud *M. Mich. Filitzium*, in Specimine Analectorum ad Olai Borrichii dissertationes de Poëtis, Lipsi. 1696. 4. edito, plag. C. 2.

XXXV. Scaligerana, Coloniæ, i. e. Amstel. 1695. 12. Vide *Wolffium* §. 8. & *Placcium* in Theatro Anonym. num. 1564. p. m. 385. Collectorem illorum esse Joh. Vassanum post alios etiam *Huetius* existimat, in epistola illa supra §. 7. inserta. Judicia Eruditorum de Scaligeranis in unum ferè collegit *Auctor* der Auserl. Anmerck. p. 164. scribens. Der Auctor der Præfation über die Menagiana hat nebst dem Morhofio uns der Mühe von diesem scripto zu urtheilen überhoben / indem sie mit mehrern angemercket / daß dieselbe zu Kränckung der estime, die sich Scaliger erworben / heraus gegeben / es schiene auch / als wenn diejenigen / so sie zusammen getragen / seine Autorität und Hochachtung zu schmählern / sich ausdrücklich vorgesetzet / wenn man nicht versichert wäre / daß seine Creaturen / es mögen nun die Brüder Puteani, oder Joh. Vassanus gewesen seyn / selbige zusammen gestoppelt / und alles / was er gesagt / vor Oracula angenommen / dahero sie auch die allernichtswürdigste Reden / und einem ehrbaren Menschen unanständigsten Ur-

Urtheile/ sein Schmähen und Lästern nicht vergessen. Er ziehet auch dieserhalb die Menagiana denen Scaligeranis weit vor/ einmahl/ weil der Herr Menagius sich nicht/ als Scaliger, eingebildet/ als wenn er alles wisse/ und der allergelehrteste auff der Welt sey: zum andern/ weil er mit vornehmern und höfflichen Leuten/ als Scaliger, umbgegangen/ als welcher die meiste Zeit seines Lebens bey den groben Holländern zugebracht. Diesem füget er noch bey/ daß zwar Menagius nicht weniger frey und lustig im Reden gewesen/ als Scaliger, allein nur bey guten Freunden/ es kämen auch solche Schertz-Reden weit gescheidter heraus/ als des Scaligers seine. Confer etiam *Thomasium*, in den Monathen/ mens. August. 1689. p. 605 sq.

XXXVI. * SCHURTZFLEISCHIANA.

Hoc nomine appellari posse Collectanea ista, quæ sub titulo: Der vernünfftigen Urtheile von gelehrten Leuten/ und so wol alten als neuen Büchern &c. Francof. i. e. Dresdæ 1710. in 8. edidit personatus ille *Adolphus Clarmundus*, existimat *Auctor* der Neuen *Bibliotheck*, Tom. I. p. 515. sq. scribens: Man hat eine Zeit her auff diese Façon aus einer sonderbahren superstition gegen verstorbene und unstreitig gelehrte Leute/ einige judicia derselben in den libris in A N A publiciret/ und ich glaube/ weñ unser vernünfftige Urtheiler zu seinen judiciis den Nahmen des Schurzfleischii gesetzet/ so würde man dieselbe auff eben die

die Art/ wie man die in ANA lieset/ gelesen haben. Benè tamen fecit Clarmundus, quod *Schurtzfleischianorum* nomen non adhibuerit, licet utique multa ex MSCtis Collegiis Schurtzfleischii, sed extra connexionem, decerpserit. Verè enim collectanea ista famam tanti Viri obfuscassent, si *Schurtzfleischiana* fuissent inscripta, cum non adeò bene de iis judicent Viri docti. Vide die Neue Bibliotheck loc. cit. p. 516. sq. & p. 575. ubi *Caspari Bonifacii*, i. e. *H. A. Groschuffii*, epistola de vitis & scriptis Adolphi Clarmundi extat. Meliori jure Schurtzfleischiana dici possunt Acta literaria è schedis Schurtzfleischianis descripta, quæ frater ejus *H. L. Schurtzfleischius*, Witteb. 1714. 8. publici juris fecit; quorum etiam continuationem Cl. Vir pollicitus est.

XXXVII. * Segraissiana. De his, tanquam affectis, ita scribit *Eccardus* in den Monathl. Ausz. A. 1701. Octobr. p. 117. Herr Galand, der sich etliche Jahre her beym Herrn Foucault, Intendanten zu Cäen in der Normandie auffgehalten/ und verschiedene Wercke geschrieben/ sol die Segraissiana ans Licht geben. Sed lucem hactenus illa non viderunt. Auctoris illorum, *Joh. Ren. de Segrais*, vitam & characterem breviter exhibet idem *Eccardus*, l. c. mense Junio, p. 85. 86. prolixius verò Auctor des Neuen Bücher-Saals/ Tom. 3. p. 477. sqq.

XXXVIII. Sorberiana, Parisiis & Amstel. 1694. 12. Vide *Wolffium* §. 15. *Placcium* Theatr.

Theatr. Anonym. num. 2480. p. 613. *Acta Erud. Lipſ.* 1694. p. 159. *Tentzelii* Monath. Unter. 1695. p. 331. ſqq. Addimus judicium Cl. *Gundlingii*, in Collegio MSCto Hiſt. Literar. Cap. III. §. 115. ubi ita: Die Sorberiana ſind von ihm ſelbſten geſammlet/ aber erſt nach ſeinem Tode editet/ nachdem ſie Mr. Graverol von ſeinem Sohn ausgebettelt. Sie ſind ſehr gut/ und halten viel curieuſe Dinge und Particularitäten in ſich.

XXXIX. TAUBMANNIANA, Francof. 1702. 12. Vid. *Wolff.* § 26. de vita ejus lege etiam *Clarmundi* Vitas, Part I. p. 184. ſqq. de facetiis ejus lepideque dictis ac geſtis, qui plura deſiderat, legat *Fridr. Brands* hellglänzende Tauben-Flügel/ Hafn. 1675. 8.

XL. TELEMEQUIANA. Horum quidem mentio fit in den Hannöveriſchen Auszügen/ A. 1700. p. 730, ſed hactenus, quantum quidem ſcio, lucem non viderunt. Continuêre ſine dubio in ſe judicia pro & contra fabulam Romanenſem, *les Avantures de Telemaque* inſcriptam, & ab Archi-Epiſcopo Cameracenſi editam.

XLI. THUANA, Amſtel. 1669 in 8. & cum Perronianis junctim Genevæ 1667. in 8. & Amſtel. 1694. in 12. prodierunt. Vid. *Wolffius* §. 10. *Placcius* in Theatr. num. 1585. p. 390. Quod titulum illorum attinet, ita de eo ſcribit auctor additionum ad *Marvillii* Miſcellanea, Hiſt. Lit. Tom. III. p. 234. Thuana *pour* Thuanea *eſt une faute, qui ſe trouve à la tête des paroles remar-*

remarquables de Mr. de Thou, que nous avons en un même volume avec les paroles remarquables du Cardinal Perron. Puisque Mr. de Thou, s'est lui-même nommé Thuanus, *la raison veut qu'on dise* Thuanea: *car de dire* Thuana, *cela supposeroit, qu'il se seroit nommé* Thuus. Ceterum de vita, studiis & scriptis Thuani videsis *Caroli Arndii* Biblioth. Politico-Herald. p. 138. sqq.

XLII. Valesiana, Paris. 1694. 12. Vid. *Wolffius* §. 14. Adponimus judicium *Auctoris* der Auserl. Anmerck. Tom. II. p. 167. scribentis: Die Valesiana sind meines Erachtens nicht schlechterdinges zu verachten/ weil der Titel gnugsam zu verstehen giebet/ daß sie allerhand critische/ historische und Moralische Gedancken in sich fassen/ und von denen bons mots oder lustigen Schwäncken weit entfernet seyn/ deswegen des Herrn de Valois Sohn/ als Editor dieser Schrifft/ in der Vorrede/ statt der poßirlichen Schertz-Reden/ die in denen Menagianis anzutreffen wären/ gelahrte und curieuse Anmerckungen verspricht. Jedoch trifft auch bey denselben ein/ was man im Sprichwort zu sagen pfleget: es ist nicht alles Gold/ was da gläntzet/ und kan es fast bey solchen zusammen gestoppelten und allenthalben auffgerafften Dingen nicht anders seyn/ es müssen allerhand Schwachheiten mit unterlauffen/ die aber die Collectores solcher Schrifften aus der Hochachtung

achtung und andern Vorurtheilen / die sie gegen diese grosse Leute geheget / nicht gewahr werden.

XLIII. * VASCONIANA. Hæc, tanquam jocosa in se complectentia citat *Jac. Fr. Reimannus*, im Versuch einer Einleitung in die Histor. Liter. L. I. c. 3. p. 236. sed illa, num prodierint, dubito: nullam certè illorum mentionem vel Ephemeridũ vel Catalogorum scriptores faciunt. Forte mendum est typographi, & legendum *Gasconiana*.

XLIV. WIGANDIANA, Gedan. 1702. 4. Vid. *Wolffius* §. 25. Acerrimas in Wigandiana hæc censuras scripsit Auctor der Neuen Unterredungen / Lützæ 1702. 8. impressarum (qui est *D. N. H. Gundlingius*) mense Mart. p. 215. sqq. quibus tamen non memini D. Schelgvigium aliquid reposuisse.

XLV. * ZIEGLERIANA, i. e. Opuscula juridico-philologica celeberrimi JCti *Casp. Ziegleri*, ad modum *Brummeraniorum* edenda, promisit *Ge. Beyerus*, præfat. ad Brummeriana.

***

Atque hæc quidem ista est librorum in ANA Bibliotheca, ordine alphabetico instructa; quam, ut excerperet quis elegantioribus studiis innutritus, & ea, quæ ad rem literariam faciunt, inde seligeret atque in uno volumine methodicè digesta ederet, dudum quidem optarunt viri docti, sed hactenus impetrare non potuerunt. Fuerunt equidem, qui tale quid moliti sunt: verum aut infeliciter iis opera hæc cessit, aut inter

inter promissa & affecta remansit, ut ostendit *Cl. Wolffius*, §. 32. Nuper adhuc nova orbi literato spes facta est conlectionis ejusmodi ex libris in ANA congestæ. Ita enim Auctor des Neuen Bücher-Saals / Tom. 3. p. 506. 507. scribit: Es ist uns von gewisser Hand berichtet/ daß das in Lœscheri Arcanis literariis versprochene Lexicon elegantioris literaturæ ex libris in ANA ein anderer gelehrter Mann/ mit Hn. D. Löschers Genehmhaltung auszuarbeiten sich vorgenommen. Hic, sive sit Cl. Junckerus seu alius quisquam, ut opus hoc adeò desideratum tandem publicæ luci exhibeat; à bonis omnibus rogatur.

§. X. Superesset, ut Virorum doctorum de his libris in ANA judicia breviter subjiceremus. Verum enim vero siniſtra de iisdem judicia legere, qui cupit, ea inveniet apud *Morhofium*, Polyh. L. I. c. 16. §. 61. sqq. & *Struvium*, Introd. in notit. rei lit. p. 403. 404. Item in adhortatione ad lectorem, Miscellaneis criticis & literariis Ancillonii præfixis; nec non in defensione Bruyerii & caracterum ejus contra Marvillium, p. 38. Extat denique Tomo II. der Außerl. Anmerckungen/ Obs. VIII. p. 156. sqq. observatio de quæstione: worinnen die Schrifften in ANA zu loben und zu tadlen/ ubi itidem scripta ista plus justo forte deprimuntur. Quæ vero in laudem illorum & defensionem contra aliorum censuras dici poterant, eruditè jam congessit sæpe laudatus *Wolffius*, præfat. in Casauboniana, §. 3.

OBSERVATIO VII.
DE BIBLIOTAPHIS,
seu
INVIDIS LIBRORUM OCCULTATORIBUS.

IDEA.

§. 1. *Bibliothecæ omnibus debent esse patulæ.* §. 2. *id quod Viri cordati exemplis suis docuerunt.* §. 3. *Dantur tamen Bibliothecæ publicæ, quæ sunt reseratæ.* §. 4. *Homines privati inprimis in concedendo Bibliothecarum suarum usu solent esse tenaces,* §. 5. *quos Bibliotaphos vulgo dicunt.* §. 6. *Ad illorum etiam classem pertinent, qui libros frontispiciis suis privant.* §. 7. *Item, qui boni commatis Scriptores, ubi debebant, non commendant.* §. 8. *Quæritur: an & illi, qui contenta librorum non ab extra dorso Voluminum inscribunt?* §. 9. *Notantur illi, qui Catalogos suæ supellectilis nemini communicare volunt.* §. 10. *Illorum, qui scripta vel aliorum vel propria combusserunt, singularia exempla afferuntur.* §. 11. *Alii modi occultandi libros summatim recensentur, v. gr. quando nonnulli scriptorum suorum perpauca im-*

imprimi faciunt exemplaria; vel obscuros libris suis præfigunt titulos; vel indices iisdem non addunt. §. 12. Maximi librorum occultatores sunt Pontificii. §. 13. De Bibliotaphia excusabili & laudabili. §. 14. Claudii Clementis de Bibliotaphis digressio.

§. I.

QUamvis Bibliothecarum privatarum character, quo à publicis distingvuntur, hic etiam à nonnullis constitui soleat, quod, ut hæ communi & publico, illæ contra privato sint dicatæ usui: nihilominus tamen utrasque,& publicas & privatas,Eruditorum vota desiderant patulas: tum quod societas rationalis etiam bona privata velit esse communicativa, in quantum ista communicari possunt; tum ob communem, quæ Bibliothecæ omnes habent, finem, scientiarum scilicet & artium augmentum, qui obtineri non potest, nisi omnibus ad media illa ac instrumenta eruditionis liber concedatur aditus. Et certe dici vix potest, quantum emolumenti ex usu Bibliothecarum liberaliter concesso in Eruditos & universam rem literariam redundet. Non sane Athenæus sua Deipnosophistica dedisset, nisi celebrem illam Laurentii sui Bibliothecam habuisset ad manus. Non Plinius naturalem Historiam, non Clemens Alexandrinus Stromatum libros, non Eusebius præclara adeo

multijugæ lectionis volumina orbi erudito reliquissent, nisi illi Bibliothecæ Romanæ, isti Alexandrinæ, huic Pamphili & Alexandri scrinia patuissent. Vid. *Conring*, de Bibl. Aug. p. m. 205. collect. Maderianæ. Nunquam Salmasius tam diffusæ eruditionis publicasset specimina, nisi ad celebratissimam Heidelbergensem à Grutero fuisset admissus; conf. vitam Salmasii Epistolis ejus præmissam. Non Sirmondus tam vasta opera unquam scripsisset, nisi ad Patavinam Bibliothecam aditus illi fuisset concessus. Vid. *Lud. Jacobi*, tract. de Biblioth. p. 552. Non Hugo Grotius incomparabile de Jure Belli & Pacis opus exhibuisset, nisi exquisita PeirescIana eidem frui licuisset, ut ipse fatetur Epist. 201. Vix denique Chemnitius, vix Seldenus, vix Holstenius tanta sibi nomina & merita in rem literariam acquisivissent, nisi illi Regiomontana, isti Oxonienses, huic Vaticana patulæ fuissent Bibliothecæ. Nec caret ratione, quod ex aliorum Bibliothecis plus plerumque proficiamus, quam ex propriis. Solebat enim dicere doctissimus *Hadr. Valesius*, nullis se libris melius usum unquam, quam commodatis vel ex Bibliothecis publicis vel privatis. Hos enim se exactissimè legere, annotare atque excerpere, tanquam qui in manus suas nunquam essent redituri. Lege vitam Valesii, quæ in collectione Vitarum *Gvil. Bateſil* extat, p. 722.

§. II. Atque hoc perpendentes Viri, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, non so-

solum omnes promiscue ad Bibliothecarum suarum arcana promte admiserunt, verum etiam conventus eruditos in iisdem quandoque instituerunt. De Veterum conversationibus literariis in Bibliothecis olim habitis legenda est Observatio 4. Tomi VII. *Observ. Halens.* quam docta *Struvii* manus scripsit. Nec sequiori ætate ignotæ plane sunt de rebus eruditis collationes in Bibliothecis institutæ. Siquidem in Ambrosiana Mediolanensi hodie adhuc ordinatum est nobile Collegium sexdecim Virorum Eruditorum, quorum doctiores conversationes in Bibliotheca habent, reliqui Codices veteres, ne deperdantur, describunt. Vid. *Mabillon*, Mus. Ital. p. 11. De facili vero ad eandem accessu multa habet *Naudæus*, de instruenda Biblioth. p. m. 130. 131. collect. Schmidianæ. Angelum Roccam, Italum doctissimum, laudat *Erythræus*, Pinacoth. l. p. 106. quod insignem suam Bibliothecam omnibus aperuerit. Gallorum quoque Bibliothecas, non publicas modo, sed & privatorum plerasque, patulas esse satis superque constat. Bodlejanam pariter, quæ Oxonii celebratur, singulis diebus peregrinorum usibus patere ii norunt, quibus adire Corinthum hanc contigit, adeò ut secretiora etiam & MSCta Patronorum commendatione expugnari queant. Inter Germanos, hoc in humanitatis genere, laudem post alios promeritus est raræ eruditionis Theologus Joh. Georg. Dorschæus, de quo *Fechtius* in præfat. ad ejus

Comment. in Evangeliſtas ſcribit: *Bibliothecæ ejus fores nemini unquam fuerunt occluſæ, nec ducentis ad eam cubicularii officium erat requirendum: cum hac filia ſua (ita ex tenero affectu Bibliothecam ſuam ſubinde nominabat,) amatorios miſcere ſermones quemcunque patiebatur, immo refugientes invitabat. Nunquam ipſe à Bibliotheca aberat, nonnunquam mutus in ſcriptis cum verſantibus illam & pervolventibus colloquebatur, interdum accedebat ipſe viva Bibliotheca & diſcurſibus in vario doctrinæ genere inſtitutis ita obambulantes recreabat, ut recepto quaſi novo ſpiritu ad ſolidam pariter eruditionem & virtutem animarentur.* Adjungere huic Polyhiſtorem Lipſienſem Fridr. Ben. Carpzovium non dubitamus, cujus φιλοβιβλία exteris quoque materiam laudis præbuit. Hic ſiquidem Bibliothecam lectiſſimam magno ſumtu nec minori ſtudio, non tam ſibi, quam aliorum commodis paravit. Omnibus bonis ea patebat, neque in mutuo dandis libris erat difficilis Mæcenas hic Literatorum ſummus, ſed rariſſimæ notæ libros, ipſos etiam MSCtos Codices, petentibus commodabat, peregrinosque pariter ac indigenas ad Bibliothecæ ſuæ uſum & ſvaviſſima in eadem colloquia quotidie admittebat, prout ſatis prædicare non poſſunt *Chriſt. Junckerus*, Epiſtola ad J. G. Pritium, de obitu Carpzovii, Sleuſingæ 1699. 4. edita, & *Lud. Chriſt. Crellius*, in Oratione Panegyrica, A. 1700. recitata. Quanta Thomæ Ittigii fuerit alios libris ſuis ju-

juvandi facilitas, legere licet in *M. Jo. Fridr. Kernii* dissert. epist. ad D. Fechtium (cujus quoque hac in parte humanitate juventus Academica Rostochiensis multo cum fructu fruitur) de vita, obitu & scriptis Ittigii p. 24. Alios Virorum doctorum, hactenus & dudum demortuos, consulto tacemus.

§. III. Licet vero hac ratione Bibliothecæ ex natura atque indole sua omnibus suas præbere debeant divitias; dolendum tamen est easdem ad instar gynæceorum & carcerum sæpe esse occlusas. Dantur certè Bibliothecæ publicæ, quæ aut nunquam aut raro satis publici juris & usûs fiunt. Sic, ut unum atque alterum adducamus exemplum, de Bibliotheca Scorialensi Hispanica scribit *Henr. Ernstius*, ad vitam Pomp. Attici, p. 35. eandem à duris & inhumanissimis lictoribus teneri: libros enim ibi quasi revinctos & captivos haberi. Conf. *Balthasaris Corderii* epistolas duas de Bibliothecâ Scorialensi, quæ insertæ sunt collectioni Maderianæ de Bibliothecis, p. 114. sqq. Jactat Bibliotheca Vaticana arcanam quandam Bibliotheacm, à latere majoris ædificii collocatam, teste *Cicarella* in vita Sixti V. sed cum nemini aditus ad eam concedatur, nisi Pontifici Maximo, multi non absque causa dubitarunt, num in hoc secretiori loco adsint libri. Certè cum Lambecius ab Holstenio Papæ Romanæ sisteretur & commendaretur, promittebatur ei accessus in conclave hoc arcanum: sed spes eundem postea

miſere fefellit. De Turcis refert *Petrus de Valle*, Itiner. Part. 2. c. 27. quod apud illos librorum, eorum inprimis qui ſcientias & artes tradunt, theſauros ſoli docti, tanquam Dracones auro incubantes, poſſideant, reliqui ut profani hinc arceantur. Quomodo iidem Turcæ ſpolia Bibliothecæ Corvinianæ Budenſis occludant, & quam ſe in concedenda libros luſtrandi licentia præbeant difficiles, pluribus docet *Petrus Lambecius*, Comment. de Biblioth. Vindobonenſ. L. 2. c. 9. p. 994. Et quid de Bibliothecis Monaſteriorum Germaniæ dicamus, libris & diplomatibus, hiſtoriam patriam apprime illuſtrantibus, inſtructiſſimis, ſed Monachorum ignorantia & tenacitate obſeptis? Lepide ſane de cucullatis his fratribus *Georg. Sabinus*, primus Albertinæ noſtræ Rector, cecinit:

Haud ſecus ac duro fugitivos carcere ſervat
Veſtra catenatos Bibliotheca libros.
Quid mirum? ſi nulla viget doctrina, colendi
Doctrinæ Auctores hic ubi vincla gerunt.

Et certe levi quadam mutatione in Monachos quadrant verba, quæ in Principes Salviatos, Codices quosdam, vetuſtiſſimum inprimis Procli, occultantes, libere ſatis vibravit *Holſtenius*, in Catalogo MSCto Biblioth. Mediceæ, Scam. 80. ubi ita: *Ut ſimiæ prolem præ nimio affectu ſuffocant, ita invidi illi & maligni librorum cuſtodes, dum theſaurum nimium abſcondunt, eundem &*

ſibi

sibi & publico perdiderunt. - - Illi tamen canes, quod ajunt, in præsepi & Dracones thesauris incumbentes omnia sibi salva & sarta tecta existimant, dummodo ipsi soli possideant. Sane non solum operæ pretium foret, sed publicum beneficium extorquere ab iniquis possessoribus describendi copiam. &c. Immo affirmare non vereor, plerasque, quæ extant, Bibliothecas, etsi januæ earundem apertæ sint, esse nihilominus thesauros reseratos. Præterquam enim quod non nisi in Bibliothecarum loco libris uti concessum sit, videas etiam passim conclavia, quibus libri asservantur, non esse ita extructa & disposita, ut quilibet commode ibidem commorari queat; sed plerumque bibliophilos commoditate studendi in Bibliothecis destitui, ita ut nec locus sedendi illis concedatur, nec occasio frigore correpta membra hyeme reficiendi. Quid, quod prohibitum utplurimum sit libros in Catalogo quærere, & ex pluteis pro lubitu capere. Et quod omnium est maximum, apertæ sunt Bibliothecæ non semper, sed certis tantum septimanæ diebus, & tunc quidem duabus vel tribus tantum de die horis. Quantum autem utilitatis per tam breve temporis spatium ex Bibliothecis hauriri queat, ii judicent, qui de argumento aliquo scribentes variis variorum testimoniis indigent, & uno vel altero intra horulæ spatium invento, secedere ex loco Bibliothecæ jubentur, & post octiduum reverti.

§. IV. Nec privatarum Bibliothecarum melior hac in parte est conditio. Videas enim possessores earundem vel cani Æsopico plerumque similes esse, dum aliis ea invident, quibus tamen ipsi non fruuntur; vel Bibliothecas suas sepulchrorum ritu perpetuo claudere, librosque suos sibi tantum servare, nec ulli illorum copiam facere. Invidos hujusmodi homines inter doctos & olim extitisse, & hodienum adhuc dari, experientia testatur plus quam quotidiana. Suo jam tempore desideratissimus Erasmus de iisdem conquestus est, in digressione quadam, quæ legitur sub Proverbio: *Festina lente*, in collectione Proverbiorum p.m. 243. edit. Wechelianæ, de A. 1643. in fol. Postquam enim ibidem Italorum in commodandis sibi libris etiam MSCtis ingenuitatem multis prædicasset, à quibus in conscribendo Proverbiorum opere adjutus esset; mox subjicit: *Nunc vicissim accipe candorem amici cujusdam Cisalpini, quem in præcipuis habebam, nec habere desii: quandoquidem amici mores nosse oportet, non odisse. Cum adornarem editionem Venetam, forte videram apud illum Suidam, cujus margines habebant paræmias annotatas. Opus erat ingens, & erant evolvenda plurima. Cupiens igitur hoc laboris lucrifacere, rogavi faceret ejus voluminis copiam vel ad horas paucas, dum puer notulas in meum Codicem transscriberet. Iterum atque iterum roganti pernegavit. Cum nullum obtestationis genus non admovissem,*

vissem, nec exorarem, rogabam, num ipse haberet in animo edere proverbia, me cessurum perlibenter hoc opus felicius tractaturo. Dejerebat nihil esse tale. Quid igitur, inquam, te movet? Tandem, veluti tormentis adactus, fassus est, hæc jam evulgari, per quæ docti hactenus fuissent vulgo mirandi. Hinc illæ lachrymæ. &c. Recentius exemplum adfert auctor Observ. 8. Tomi X. Observ. Hallens. (qui est *Jac. Fr. Reimmannus*) p. 191. scribens: *Memini me ante biennium, cum virum doctissimum Jo. Andr. Schmidium, Abbatem Mariævallensem dignissimum de MSCto quodam Historico à ** impetrando sollicitarem, id responsi accepisse: Mala hæc est aurea, quæ à Dracone custodirentur; se neque pro aliis neque pro semetipso quidquam ab illo impetrare potuisse.* Recentissima nostro ævo & frequentata nolumus addere invidorum ejusmodi exempla: neq; enim bilem cuiquam movere animus est, præsertim cum res per se satis nota existat.

§. V. Atque hoc hominum invidorum genus, *qui, ut soli sapere videantur, librorum aliquid insignium nacti, nemini eorum copiam faciunt, sed vel in theca veluti sepulchro quodam inclusos adservant, vel alio quocunque modo occultant*, Bibliotaphos græco vocabulo Eruditi vocare consveverunt. Vid. *Henr. Sigism Marquartus*, in selectis de re libraria, Jen. 1691. editis, Cap. 3. Fontem, unde pessimum hoc Eruditorum vitium dimanet, aperire si desideres, scire

te

te velim, quod quemadmodum muſtela ſerpentem odit, quia pari vigilantia mures ſectatur, ſic figulus figulum odit, eruditus erudito invidet, quod ambo pari ſtudio inclareſcere ſatagant. Hinc fit, ut, cum aliquid librorum nobis comparaverimus, & alius quis eosdem uſurpandi facultatem ſibi expetat, aut raro aut nunquam eidem annuamus. Ea enim nos tenet opinio, quod ſi alter ille admittatur ad arcana hæc noſtra, non ſolum eandem nobiſcum ſcientiam ſibi acquiſiturus ſit, quo caſu laus noſtræ ſcientiæ labefactari nobis videtur; quod enim multi ſciunt, id nemo admiratur; ſed etiam metuendum, ne alter plus fortaſſis utilitatis ex libris noſtris capiat, quam quidem nosmetipſi, & ſic caligo noſtræ affunditur famæ; quantum enim alterius ſplendor augetur, tantùm putamus de noſtra exiſtimatione diminutum: quo tandem fit, ut ad paucorum notitiam perveniant libri noſtri, ingeniaque curioſa deſtituantur ſive mediis, ſive exemplis, quibus vel potuiſſent demonſtrare vel illuſtrare materiam, quam orbi erudito exhibere ſatagunt. Verùm audiamus, quid excuſationis loco proferant invidi hi librorum occultatores. Dicunt (1) malam utplurimum pro beneficio iſto referri gratiam, dum illi, qui libros mutuo accepere, aut plane eosdem non reſtituant, aut certe maculatos vel laceratos reddant. Sed priori quidem incommodo facilis medela paratur, ſi petentibus nonniſi chirographo vel pignore dato, libri mu-

mutuo dentur. Quod verò superstitiosam nimis librorum munditiem à quibusdam adamatam concernit, & illa servari poterit involucro libris commodatis adplicato, vel damno, si quod datum fuerit, resarcito. Ne jam dicamus, calvam hanc prorsus esse excusationem & ad palliandam turpem invidiam tantùm excogitatam. Sed (2) obvertunt, Bibliothecæ ornatum periclitare, si libri extra ejus promœria aliis concedantur usurpandi: ita enim lacunas multas exsurgere, quæ præterea ordinem facile turbare possint. Verùm huic dubio respondemus verbis *Cl. Wagenseilii*, Epist. de hydraspide sua, præf. p. 6. ubi ita: *nolim inficias ire, deturpari Bibliothecas lacunis absentium librorum: si modo ea turpitudo est, cum res aliqua adhibetur in illum finem, cui destinatur, ac Armamentarium vituperationem meretur, cum Princeps in expeditione adversus hostes occupato, & res suas præclare gerente, tormenta quædam, aut alia arma ibi deficiunt. Immo verò ista fœditatis nihil, laudis multum habent. Quanquam si omnino quis tam* Φιλόκαλος *sit ad superstitionem, ut nolit vacuum locum in Bibliotheca ferre, Benedictinos Monachos, qui Monasterium Prunfening (sic S. Emmerani Abbas Cœlestinus, in Mausoleo à se edito, proprie vocari asserit, cum vulgus Prusling appellet) quod prope Ratisbonam est, inhabitant, imitetur licet, qui arte facto inani & supposititio libro, probum mentiente, hiatum veri absentis adimplent, inque talem schedam illius,*

illius, qui genuinum commodari sibi petiit, reponunt.

§. VI. Verùm crassa nimis ista Eruditorum Bibliotaphia est, qua suppellectilem suam nemini concedunt usurpandam. Subtilius aliquantò eadem invidia laborantes incedunt, qui frontispicia librorum data opera resecant, ne alii experiantur unde sua quotidie hauriant arcana, & sibi eosdem postea libros comparare possint. Muhammedanorum libros fronte sua plerumque esse privatos, *Petrus de Valle* loco supra §. 3. adducto testis est, unde fiat, ut Bibliopolæ & nomen & pretium librorum ignorent, & si quis in bonum librum incidat, id fortunæ magis, quam sapientiæ tribuendum esse. Conf. *Nic. Clenardus*, Lib. II. Epist. 9. & 19. Utinam verò libros fronte sua circumcidendi consvetudo inter Orientales tantum esset in usu, nec eadem sævitia inter cultioris quoque Europæ Eruditos nostro etiam seculo regnaret. Vidisse amicum quendam ejusmodi Bibliothecam castratam refert *Jo Christian. Koch*, schediasm. de Bibliotheca ordinanda nuper edito, p. 76. simulque narrat, possessorem excusationis loco respondisse: *si Museum meum cognitione librorum probe imbutus intret, ille Auctorem voluminis cognoscet, etiamsi nunquam titulum inspiciat; sin verò notitiæ hujus expers me salutet, eum vel centum tituli parum juvabunt.* Verùm merito dubitat idem Kochius, an eo ipso turpem librorum mutilationem excusare, aut in-

invidiæ maculam abstergere potuerit Bibliothecæ istius possessor. Neque enim nobis concipere possumus tantam in uno homine, etiam βιβλιογνωσίας peritissimo, librorum cognitionem, quæ sese ad omnes in universum omnium scientiarum & artium libros, etiam rarissimos & haud ubivis obvios, extendat. Plerosque certe libros novimus, non quod illos viderimus coram, sed quod in Catologis tantum titulos legerimus; quomodo ergo ex prima voluminis inspectione Auctorem cognoscere poterimus, quem nunquam aliàs oculis usurpare & pervolvere datum fuit. Taceo memoriam, in libris inprimis pernoscendis, admodum esse infidam, adeo, ut continua hic repetitione & librorum evolutione opus sit. Et quid multis? Bibliothecæ non tantum Viris doctis & rei literariæ peritis, sed etiam notitiæ hujus expertibus inservire debent: illis quidem ad conservandam & augendam, his ad acquirendam bonorum librorum cognitionem. Denique dilemma illud iniqui istius Bibliothecæ occultatoris inverti potest hunc in modum. Si Museum tuum, mi Bibliotaphe! cognitione librorum probe imbutus intret, ille ex tua hypothesi Auctorem voluminis statim cognoscet, etiamsi nunquam titulum inspiciat, quid ergo opus erat frontispicia evellere & libros mutilare? si verò notitiæ hujus expers te salutet, cur iterum necesse erat libros titulo suo privare, cum, ut ipse fateris, vel centum tituli illum juvare

non

non possint. Vide, quam misere argumentetur mens tua affectibus in perversum abrepta!

§. VII. Invidis librorum occultatoribus meritò illos etiam adjungimus, qui quando vel voce vel scriptis alios docent, vel ubi de selectu bonorum librorum in hoc vel illo studiorum genere consuluntur, aut nullos omninò laudant, aut certe optimos reticent, & eos maxime se ignorare simulant, quibus tamen tantum non quotidie utuntur: immo illos superciliosè despectant, quorum potissimum opera profecerunt. Videri scilicet volunt corniculæ hæ Æsopicæ se omnia ex proprio ingenio deprompsisse, quamvis pusillam suam eruditionem & arcana multum prædicata ex scriptis aliorum hauserint unicè. Quadrant in homunciones hos verba *Thomæ Crenii*, Animadvers. P. VIII. p. 205. ubi ita scribit: *istos*, qui auctores bonos dum nominare debent, silent, *parum abest, quin invidos habeam, superbos, aliorum contemtores, & tantum non plagiarios, summo eos, per quos profecerunt, tacentes studio, quibus solemne est occultè legere, quæ latrant publicè.* Præterquam enim, quod magnam suspectæ eruditionis notam incurrant, etiam quam parum ipsis commodum publicum curæ cordique sit, hoc ipso liquido testantur. Adscribere hic non piget verba Theologi gravissimi *Arnoldi Mengeringii*, quibus hanc Eruditorum invidiam damnat; ita verò in Scrutinio Consc. c. XII. quæst. 87: Gleichwie solches auch eine Art eines fal-

falschen Zeugnisses ist / weñ man sich mit fremder Leute Arbeit und Schrifften also behengen und behelffen thut / also gereichts auch nicht zu geringem Schaden der studirenden Jugend: deñ solche Præceptores viel besser / rühmlicher und ihrem eigenen Gewissen verantwortlicher thäten / so sie solche Autores ihren Discipulis und Zuhörern nenneten / commendirten und zu lesen übergeben / selbige nützlich zu lesen Mittel und Wege zeigeten / die difficilia und dubia loca methodice ventilirten und erklärten / und also mit gantzem völligen Ernst derselben profectus und perfection suchten und begehrten / so würde viel Zeit / die auf solch unnütz weitläufftig dictiren und schmieren / aus frembder Leute Bücher / gehet / erspahret werden. Rectius omnino faciunt, qui cogitantes illud *Plinii*, præf. ad Hist. Nat. *benignum & plenum ingenui pudoris est, fateri, per quos profeceris*, ipsos, unde sua hauserunt, fontes aperiunt, & boni commatis libros fideliter commendant; quod si fecerint, à metu liberi sunt, ne quis posthac turpe plagii crimen sibi objiciat, atque sic eruditio sua vilescat.

§. VIII. Dubium est, annon & huc referendi sint illi, qui dorso voluminum Bibliothecæ suæ contenta sive titulos librorum inscribere nolunt? Equidem institutum hoc prorsus rejicit *Jo. Chr. Kochius*, de Bibl. ordin. p. 78. ubi ita: *Bibliothecam ita plurimi disponunt, ut cuilibet volumini titulum Auctoremq; suum, satis interdum eleganter,*

inscribant. Sed, ut ingenue meam profitear sententiam, iste libros pingendi modus mihi nunquam arrisit. Quicunque enim talem Bibliothecam contemplatur, uno quasi intuitu omnes tuas divitias exhauriet, atque in arcaniora tua facile penetrabit. Curiositati quoque hospitum iisdem librorum notis remoram injicimus: excitatur autem ac alitur illa, si nihil plane libris inscriptum esse cognoscant. Ut taceam ipsa inscriptione haud rarò volumina commaculari. Memoriæ defectum & imbecillitatem Catalogus aptus supplere poterit. Sed ecce! quam eleganti veste palliare sese studeat invidia. Munditiem primum prætexit alias satis laudabilem, quæ inscriptione librorum videtur periclitari. Sed sedulo cavenda erat calligraphiæ amatori omnis in scribendo sordities: præterea maculam si times, Bibliopegæ libros tuos tradas, qui titulos tibi pereleganter in terga librorum imprimere poterit. Neque curiositati hospitum hoc libros pingendi instituto remoram injicimus, ut potius eandem mirum in modum juvemus. Qui enim Bibliothecam nostram intrat, aut curiositate tantum ducitur, atque eandem in transitu & oculo, quod ajunt, cursivo lustrare cupit: aut sæpius ad illam accedit, notaturus inde, quæ sibi videntur proficua. Prior ille, qui videndi tantum gratia accessit, libros quidem videt mundos, & parietem album referentes; quinam vero illi sint, an vulgares, an rariores, an selecti, an promiscui, cernere ne-

nequit; cum tantum temporis non habeat, ut singula percurrere possit volumina. Posset verò de bonitate Bibliothecæ judicium extemporaneum dare, si librorum contenta essent iisdem inscripta. Posterior verò ille, qui quotidianus fere Bibliothecæ nostræ hospes est, non opus habebit, ut, cum quid quærendum est, magno tædio semper ad Catalogum recurrat: tituli enim libris inscripti indicis usum illi præstabunt, & memoriam ejus juvabunt, inprimis si libri juxta Facultates & scientias, ratione situs, sint collocati: vel dispositionem Bibliothecæ, qualemcunque etiam, sibi notam reddiderit, qui ea utitur. Quare fere persvasi sumus, plerosque ab hoc libros signandi instituto aut negligentiam detinere, aut inanem metum, ne forte, qui intrant Bibliothecam suam, uno quasi intuitu divitias suas undiquaque corrasas exhauriant, atque sic in arcana sua sese ingerant, & unde eruditionem suam quotidie capiant, cognoscant. Quam etiam ob rem alii libros suos ita locare solent, ut terga voluminum parietem respiciant, & Bibliopegæ industria oculos advenientium plane fugiat. Qui utique ad hanc Bibliotaphorum classem sunt referendi.

§. IX. Pridem admodum est, quod Viri docti in votis habuerint, ut omnes, quotquot extant, Bibliothecæ per Indices seu Catalogos orbi erudito essent cognitæ. Vide *Hottingerum*, in Bibliothecario quadrip. p. 28. Is enim Cata-

logorum ad librorum notitiam est habitus, ut hæc absque illis aut nulla sit, aut mutila prorsus ac manca, prout ex instituto demonstrarunt *Theoph. Spitzelius*, dissert. prælim. ad sacra Bibloth. arcana retecta, §. 11 sqq. & *Conringius*, sub initium epistolæ ad Boineburgium de Bibloth. Augusta. *Sed dolendum est, non omnes Bibliothecarum extare Catalogos, quod tamen vel maxime necessarium ac utile esset, quia compluribus non tantum in illa ipsa civitate ac regione degentibus, sed etiam exteris, per hunc demum innotescit, quos auctores & libros liceat ex thesauro illo expectare & promere in commodum eruditionis*, ut scribit *Georg. Finwetterus*, (sub quo nomine *B Godfridum Wegnerum* latere referunt Nova Lit. Maris Balth. A. 1701. p. 11.) in Biblidio, de Bibliothecis per societatem augendis, p. 34. Equidem desperatum penè esse vastarum Bibliothecarum absolutos habere Catalogos, omnium fere Eruditorum suffragiis est conclamatum. *Nihil certius*, inquit *Conringius* loc. cit. p. m. 179. *quam vastarum Bibliothecarum indices integros, ut confectu perquam difficiles, ita rarissimos esse repertu.* Neque etiam hoc mirum. Sive enim librorum spectetur numerus, sive argumentum, singula eas habent difficultates, quæ negotium facile vel prorsus intactum relinquant, vel reddant suspensum. Sed utut de vastissimis Bibliothecis concedamus, frustra earum indices integros & perfectos expectari; res tamen non adeo erit difficilis,

cilis, indices conficere & edere præcipuæ earundem partis, librorum scilicet MSCtorum, rariorum, & fere incognitorum. Compendium duntaxat rei conficiendæ excogitandum est, quod fortassis non adeo impossibile esset. Quam male ergo bono Reipubl. literariæ consulant, qui Bibliothecarum publicarum Catalogos data opera orbi literato invident, facile ex his adparet. Certè inter Bibliotaphos hanc ob rem meritò numerantur Hispani, de quibus notum est, quod, cum *Alexander Barvoetius*, Jesuita, Catalogum MSCtorum Bibliothecæ Scorialensis summa cura adornatum editioni parasset, invidia ducti, nolentes ut cogniti fiant sui thesauri, astu ei hunc indicem egregium suffurati fuerint. Unde postea Barvoetius ea tantum scripto conjecit in publicatum à se A. 1648. Catalogum, quæ reminiscentia & memoria extemporanea ei suppeditarunt. Utut verò privatarum alia hac in parte videatur esse conditio, neque facile, vivente adhuc possessore, Catalogus supellectilis ejus privatæ prodeat impressus, non minus tamen βιβλιοταφίας suspicionem incurrunt, qui, rogati, librorum suorum scriptos indices aliis communicare, vel ad breve tempus, nolunt. Verentur scilicet, ne alii inde excerpant & notent libros sibi profuturos, eosque in posterum mutuo dandos sibi expetant; ut ergo ab hoc libros commodandi reputato onere sint exemti, Catalogos Bibliothecarum suarum se aut nullos habere mentiuntur,

aut eosdem mutilos esse dicunt, aut usum illorum prorsus denegant. Num ab invida hac Catalogorum occultatione, tanquam subtili βιβλιοταφίας specie, immunis prorsus sit Auctor Observationis VIII. Tom. X. Observ. Halens. judicio Lectoris committimus. Ita verò ille l. c. p. 200. 201. scribit: *Optandum esset cum Morhofio l. 1. Polyhist. c. 7. p. 58. ut non tantum de Bibliothecis publicis, sed & de privatis quibusdam haberemus MSCtorum Catalogos; siquidem plane persuasum mihi est, in Bibliotheca Leibnitzii, Schurtzfleischii, Meibomii, Thomasii & aliorum hujus commatis Virorum doctorum multo plura & rariora delitescere ejusmodi κειμήλια ἀνέκδοτα καὶ δυσεξερεύνητα, uti dicuntur Casaubono in Epistola 22. p. 21. quam in quibusdam librariis publicis: sed optandum hoc potius, quam expectandum est. Nam licet Flacios & Mendozas & alios hujus monetæ homines fortassis parum timeant; quorum ille incautis Monachis; hic verò cautissimis Venetis MSta rariora surripuisse dicitur: alias tamen habent rationes, quare hos thesauros ἀποκρύπτειν malint quam ἀποκαλύπτειν. Ego sane in hacce causa meos patior manes; quamvis non adeo abundem his deliciis, & mea Bibliotheca ultra 50 MSCta ἀνέκδοτα, eaque maximam partem historica, non comprehendat. Puto & alios habere suos sensus, nec prorsus rationibus destitui, quod hæc sua mysteria indicibus publicis manifestare nolint. Inprimis cum videant in ipsa Gvelpherbytana, quæ ta-*

tamen usibus publicis destinata est, desiderari adhuc MSctorum Catalogum, & incomparabili Reginæ Sveciæ, Christinæ, hæc sacra arcana & mysteria Eleusinia lustrare oculis vix licuisse.

§. X. In scenam jam prodeat aliud Bibliotaphorum genus, illorum scilicet, qui scripta rariora & singularia, eaque vel propria vel aliorum, flammis consecrant edacibus, & simile ex hoc spectaculo gaudium, ac Nero ex urbis quondam incendio, capere solent. Extitisse homines ejusmodi, qui vel aliorum vel sua ipsorum scripta combusserunt, omnis testatur historia literaria. Nos unum vel alterum inde exemplum decerpemus. Aristotelem veteres Philosophos, postquam scriptis eorum usus esset, combussisse nonnulli tradunt apud *Zeidlerum*, præf. Introd. in Lect. Aristotelis, F. 4. Pariter Justinianum Imp. novo jure conscripto, veterum JCtorum scripta concremasse vulgo perhibent. Paracelsus Monachi cujusdam Ulmensis librum de rarioribus medicamentis prius descripsit, deinde Vulcano tradidit, ut ex Cratone à Crafftheim narrat *Abercrombius* in fure Academ. Sect. 44. De Sacerdotibus græcis narrat ex Petr. Alcyonio *Colomesius*, Opusc. p. 291. quod apud Cæsares Byzantinos tanta floruerint auctoritate, ut integra illorum gratia, complura de Veteribus Græcis poëmata combusserint: atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis fabulas & carmina Anacreontis, Erinnæ, Alcmanis & aliorum interci-

 disse,

cidisse, ut ex omnibus Lyricis græcis, Pindarum si excipias, minuta tantum fragmenta quædam supersint Fuit etiam inter Chinenses quondam flagitiosæ ambitionis tyrannus, Xius, qui, ut sibi uni & soli laudem quæreret, omnes libros Sinicos exuri jussit, ut priorum Imperatorum omnium extingverentur memoriæ; vide *Martinum Martinium*, Libr. VI. Hist. Chin. p. 239. Multa scripta Joh. Staupitii Abbas quidam, successor ejus, ex ignorantia & intempestivo zelo cremari jussit. Conf. Voyage d'Italie & Hollande à Cologn. 1705. 8. p. 71. De Georgio Rüxnero antiqvum MSCtum, torneamentorum historiam complectens, exscribente, & ne impostura detegeretur, codicem rarissimum concremante legendus est *Struvius*, de doctis impostoribus, §. 49. Nec pauciora prostant illorum exempla, qui propria ante obitum suum combusserunt scripta. Ex recentioribus nominamus Andream Müllerum, Præpositum Berolinensem, famigeratissimum illum literaturæ Sinicæ cultorem, *qui eadem die, quæ ipsius è vita excessum præcedebat, omnia sua MSCta, superstitiosa fere cura hactenus asservata, invidiæ æstro percitus, in ignem conjecit, eaque non fama, sed incendio sonare jubens, flammis tradere maluit, quam orbi literato relinquere, incomparabilemq; memoriæ suæ æternitatem acquirere*, ut narrat *M. Georg. Gotfr. Richter*, diss. de Eruditorum invidia, §. 36. Lipsi. 1703. Pariter Philippus Sidneus moriens suam jussit cremari Ar-

Arcadiam, scriptum elegans, sed fovendæ libidini aptum; unde eleganti epigrammate in eum lusit *Owenus*, Libr. II. Epigr. 67. De Petro Denaisio, JCto, sua ante obitum cremante, vide *Adami* Vit. JCtor. p. 446. Cl. Salmasii hæc consvetudo perpetua fuit, ut omnia prout semel conceperat, sine altera lectione, etiam typis commiserit; quare moribundus conjugem jussit scripta sua flammis mandare, quod subito properata essent, nec curis secundis recensita. Vide *Ant. Clementium*, in vita Salmasii, p m 64. Benedictum Spinozam tractatulum suum, quem de iride conscripserat, nec non novam Pentateuchi explicationem, opera ad prælum jam parata ante obitum Vulcano consecrasse, scriptores vitæ ejus referunt. Vide *Gotl. Fr. Jenichen*, in Historia Spinozismi Leenhofiani, p. 10. In vita Tentzelii *à Clarmundo* scripta, si fidem illa meretur, simile quid observavi. Ita enim ibidem fatur: *Ut certus quidam magnus Vir nuper mihi referebat, causa, cur non admodum multa scripta manu exarata in scrinio hujus diligentissimi Viri reperiantur, hæc est, quia ante aliquot hebdomades, antequam lecto defigeretur, ex tædio nonnullos horum fasciculos in ignem conjecisset. Hoc Tentzelius ipse Viro huic munere gravi, utpote intimo suo confessus est.* De Principe Poëtarum inter Germanos Casp. Hofmanno scribit *Jo. Fr. Cramerus*, in Vind nominis german. contra obtrect. Gallos, plag. F. 2. b. *In amatoria Poësi parem aut superiorem*

riorem Hofmannus habuit neminem; & est dolendum, quod ejus generis carmina maxima ex parte, ut sunt fastidiosi suorum operum æstimatores viri magni, quæ sempiterna luce frui debebant, combusserit, & triste eorum desiderium posteris reliquit. Recentioris Poëtæ Silesiaci exemplum, opus suum, quo bellum germanicum descripserat, comburentis legas im Neuen Bücher-Saal/ Tom. 2. p. 664. ubi & p. 737. idem de Casp. Schiffordeghero, JCto Silesiaco, memoratur. Quamvis verò affirmare vix ausim omnes hos, quos memoravimus, aut alios etiam, qui flammis tradere scripta maluerunt, quam orbi literato relinquere, invidiæ œstro fuisse percitos. Siquidem quosdam forte pietas & religio, alios superstitio, nonnullos ambitio, alios laboris impatientia, illos pœnitentia, hos affectus alius impellere potuit, ut igni scripta traderent. Dubitandum tamen non est, quosdam ex illis utique invidia ductos tale quid commisisse. Quomodo etiam nonnulli, eadem infecti labe, ultima voluntate sanciverunt, ut MSta sua in loculum suum reponantur, & cum cadavere suo sepulchro includantur: de quo more alias vide dispicientem *Ge. Henr. Götzium*, in der Todten-Bibliothec, Hamb. 1704. & Lubec. 1707. tribus hactenus vicibus aperta.

§. XI. Agmen claudant subtiliora nonnulla Bibliotaphorum stratagemata, quibus licet non directè, indirectè tamen libros occultare solent. Sic,

Sic, (1) qui scriptorum suorum nonnisi perpauca imprimi faciunt exemplaria, atque ita raritatem illorum consultò quærunt, quid aliud agunt, quam ut libros invidiosè occultent. Quia enim hoc potissimum videntur intendere, ut scripta sua vel majori desiderio quærantur, vel etiam majori pretio divendantur, hinc non possunt non, quin multos utilitate illa privent, quam ex lectione librorum istorum, si obvii fuissent, capere potuissent. Tantùm tamen abest, ut invidi hi librorum occultatores auctoritatem scriptis suis hoc artificio concilient, ut potius existimem, standum esse judicio *Joh Clerici*, qui in præfat. ad Art. Critic. editionis Amstel. 1712. ita hâc de re sentit: *Rarissimi quique libri sunt minime omnium, si rem probè pensites, utiles; quod vel ex ipsa eorum raritate intelligere est: neq; enim aut nunquam, aut tam raro essent recusi, si quis fructus singularis ex iis capi posset.* Sed & porro (2) βιβλιοταφίας notam vix effugiunt, qui obscuros, ambiguos & metaphoricos libris suis præfigunt titulos. Nimirum clavium vices gerere debent inscriptiones librorum, quæ contenta illorum aperiant, & Lectorem, quanta fieri potest pronitate, in ipsum operis argumentum introducant: quare omnis hic exulare debet obscuritas. *Il est de la derniere importance pour la fortune d'un livre, & pour la reputation de son Auteur, que son titre soit juste, simple, naturel, modeste, en termes propres, sans*

sans figure, sans affectation, sans obscurité, sans equivoque, sans finesse, & sans raffinement, sans fourbe, sans hablerie, sans fanfare, sans rodomontade, sans enflure, sans impertinence, sans expression ridicule, sans superfluité, & sans aucun air, qui soit rude & choquant, rectè monet *Baillet*, Jugem. des Scav. Tom I. p. 487. Et cur, quæso, libro tuo indis titulum, nisi ut illo indolem ejus significes? itaque obscuram nomenclaturam libro tuo præmittens, arces & prohibes Lectores ab ejus evolutione & perinde agis ac illi, qui interprete utuntur tali, qui ipse lingvâ ignotâ loquitur. Vellicat quæsitam ejusmodi titulorum obscuritatem ac ambiguitatem *Aul Gellius*, Libr. XX Noctium Atticarum, cap XI. ipse, ob inscriptionem hanc operis sui satis obscuram, vellicandus & acerbo sale defricandus. Plura exempla titulorum hujusmodi ambiguorum collegit *Cl. Clemens*, in Museo Libr. IV. Sect. I. Cap. 7. §. 5. 6. Adde die Neue Bibliothec, Tom. II. p. 229. Denique, (3) ut alia jam taceamus, nemo forte inficias iverit, illos quoque librorum occultatoribus suo modo esse connumerandos, qui indices bonos scriptis suis aut planè non addunt, aut nonnisi mancos & imperfectos adjiciunt. Ea videlicet indicum est necessitas, ut libri illis destituti anima quasi careant, neque magis Lectoribus, quam uvæ pictæ passeribus prosint. Quis enim tantum habet per brevissimam vitam otii, ut omnia libro-

librorum infinitorum volumina à capite ad calcem perlegere possit. Cui tantum patientiæ tributum est, ut propter unam vel alteram rariorem materiam, in libro forte pertractatam, omnes reliquas vulgariores sibique nihil profuturas, absque tædio percurrere queat? Quodsi ergo omnibus promiscuè latitantes in scriptis tuis thesauros patefacere animum habes, clavem simul impertire, id est, indicem egregium libro tuo adde: sic enim, quod alias nonnisi magno cum labore inquirendum erat, mediante indice, absque multa difficultate inveniri poterit. Atque hinc Viri docti Bibliopolis hoc præ cæteris semper commendarunt, ut, si quos edere auctores publico profuturos cuperent, non sine capitum argumentis, inprimis verò non sine indice prudenter conscripto in lucem protrudant, etiamsi sumtus quidam, in ejus elaborationem, à Viro docto suscipiendam, essent impendendi. Vide *Crenium*, Animadv Part I. p. 14. Immo rogandus esset orbis eruditus, ut à libris scribendis aliquantisper desistat, & ad indices conficiendos bonorum librorum sese accingat. Quod enim opprobrio Eruditis versum est à Baudio: *illos ex indicibus sapere*, id felicitati potius rei literariæ & flori ejus adscribendum esse existimat *Illustr. Strykius*, præf ad Thurmanni Bibliothecam Academicam. Conf. N. Neue *Bibliothec*, Tom. 4. p. 42. 47. 48. Equidem vix hodie liber cujusdam molis in publicum prodit, qui

qui non de indice adjecto rerum & verborum locupletissimo glorietur, sed, ut verum fateamur, pauciſſimi illorum desideriis eruditorum respondent Cujus rei causa nulla quidem alia est, quam turpis auctorum negligentia, utpote qui raro ipsimet indices conficiunt, sed aliis, sæpe imperitis, curam hujus negotii committere solent. Rectius dubio procul Hispanus quidam sentiebat, statuens: *Indicem libri ab auctore, librum ipsum à quovis alio conficiendum esse:* cui calculum addit *Mr. Bayle*, dans son Dictionaire, p. m. 271. malè agere contendens, qui Indices aliis, interdum non satis laboriosis & eruditis, componendos permitterent.

§. XII. Aurem nobis vellicant Curiæ Romanæ assectæ, ut ipsis etiam locum inter Bibliotaphos assignemus: id quod eo lubentius facimus, quo majori jure titulus iste iis competit. Videas enim in Bibliothecis illorum peculiarem libris quibusdam, quos *prohibitos* vocant, assignatum esse locum obscurum, (quem *Infernum* aliquando inscribunt) ubi armarium, ferreis munitum cancellis, libros ejusmodi tenet reconditos, quandoque etiam plane revinctos. Ibi jacent in tenebris, nigro utplurimum colore tincti, ut vel solo aspectu intuentibus horrorem incutiant. Vide *Leusdenium*, in Philol Hebræo-mixto, p. 9 & *Consultationem Lilienthalianam*, de Historia Lit. p. 158 Extant eam in rem tot indices librorum prohibitorum & expurgandorum,

rum, jussu & auctoritate Pontificum Romanorum juxta decretum Concilii Tridentini editi, secundum quos omnis generis libri, etiam optimæ alias notæ, sub excommunicationis pœna vel prohibentur penitus, vel adjectis notis infamantur, vel, immutatione, subtractione aut additione factâ, depravantur. Qualia fata non modo isti librorum experiuntur, qui doctrinæ Papisticæ sunt contrarii, verum etiam *sub fidei ac religionis prætextu pari severitate interdicuntur, damnanturq; Auctores librorum, quibus auctoritas Principum & Magistratus civilis contra illicitas Ecclesiasticorum usurpationes defenditur: aut potestas Conciliorum & Episcoporum Curiæ Romanæ injustis occupationibus vindicatur; aut denique illorum hypocrisis & tyrannis, quibus fuco religionis imponitur populo, aut vis affertur, liquido deteguntur*, ut scribit *Paulus Sarpius*, Histor. Concil. Trid. Lib. VI. p. m. 429. Legas de his & aliis Pontificiorum circa libros imposturis *Dan. Francum*, disqu. de Papistarum indicibus librorum prohibitorum, & qui sua arva inde rigavit *Casp. Lœscherum*, diss. de latrociniis, quæ in scriptores publicos ab hæreticis solent committi, Witteb. 1674 Conf. *M Abrah Deutschmanni* dissert. de depravationibus librorum potissimum recentioribus, Witteb. 1693. editam. Hoc ipso verò, quid aliud, quæso, agunt Pontificii, nisi ut in universam non modo rem literariam sese præstent quam maximè injurios: sed eti-

etiam ut malitiosè occultent, quæ occultare non debebant, si bonæ causæ essent conscii & veritas illis curæ cordique foret. Hinc merito in illos invehitur *Guilh. Saldenus*, de libris, L. 2. c. 1. p. 277. scribens: *in γνησίων μισοβίβλων catalogum referri etiam digni sunt Papicolæ, qui utcunque omnis generis libros non aversentur, aversantur tamen optimos; quæ tanto pejor μισοβιβλία est. Abhinc enim annos aliquot quamplurimos eruditissimorum Virorum fœtus proscriptos voluerunt, zelo non tantum ὃ κατ' ἐπίγνωσιν, sed & DEO animabusque injurioso ac plane pernicioso; nec quod ipsis libri hi Christianæ fidei, Judaismo & Gentilismo oppositæ, vel bonis moribus, sed suis tantum hypothesibus, Curiæque inprimis Romanæ autoritati dicam, an tyrannidi, derogare viderentur.* Nec est, ut objiciant Pontificii, merito libros ejusmodi occultari & prohiberi, ne vulgares homines, judicio & discretione destituti, falsitatis imbibendæ periculis exponantur. Cum enim non idiotas solum, sed & homines apud se doctissimos à librorum prohibitorum lectione, sub excommunicatione fulmine, arceant, non possunt non, quin malæ causæ suspicionem incurrant. Audiamus, qui desperatam Papatus causam ex Bibliotaphia ista agnovit, *Marcum Anton. de Dominis*, in scripto, ubi profectionis suæ consilium exposuit, num. 4. *Quod Studiosis*, scribit, *& optimè erga catholicam fidem affectis, & sanâ doctrina pollentibus, penitus auferrentur* libri Ro-

Romanæ doctrinæ contrarii, *suspicione rem non carere, ut ratio merito dictat, semper sum arbitratus. Cum præsertim, etiam post peracta plenè Theologica studia, post assumtos gradus in Theologia, post promotionem etiam ad Episcopatus, copiam nobis talium librorum fieri, nullo modo Romana Curia patiatur. Crescebat suspicio, quod Magistri ipsi & Professores in tractandis publicè, sive voce, sive scripto, controversiis, omnino velint fidem sibi adhiberi, adversariorum dicta & sententias illas esse, quas ipsi referunt: Auditoribus verò nullo pacto, excommunicationis interjecto terrore, ut legant ipsa adversariorum scripta, permittatur, in quibus abscondendis, supprimendis, perdendis, adeo laboratur, ut hoc ipso latere aliquid in illis liceat suspicari, cui confellendo doctrina nostra non sufficiat.*

§. XIII. Atque sic perversos & illicitos libros occultandi modos, quibus Bibliotaphi utuntur, utcunque hactenus persecuti sumus. Quemadmodum verò non omnes statim invidia ducuntur, qui libros celare malunt, quam promiscui usus facere: ita non omnem etiam Bibliotaphiam esse improbandam, sed quandam excusari debere, per se patet. Scilicet possunt gravissimæ quandoque intercedere causæ, quæ homines, alias non invidos, ut libros hoc vel illo à nobis insinuato modo occultent, impellunt. Ita v. gr. meritò à librorum meorum usurpatione arcerem illum, qui post unam vel alteram

admonitionem frustra factam, volumina Bibliothecæ vel turpiter inquinat, vel miserè lacerat, vel nonnisi decies monitus illa remittit. Cum enim beneficium nemini debeat esse damnosum, alter ille, qui de damno dato resarciendo nunquam cogitat, sed præterea quotidie est molestus, beneficio isto indignum sese reddit. Inprimis verò sanctuarium Museorum justè profanis illis occluditur, qui libros inde vel surripiunt prorsus, vel cultello Flaciano adhibito eosdem castrare audent. Exemplum Viri docti, hanc ob causam Bibliothecam suam, quam usibus studiosæ juventutis dicaverat, obserantis, suppeditat *Georgius Finwetter*, in Biblidio, p. 29 & 96. ubi ex programmate quodam sequentia Viri illius eruditi, quem literis initialibus D. M. M. H. designat, adducit verba: *Triennium jam est, ubi primum aperui Museum omnibus ingredi volentibus, & potestatem feci usurpandi libellos, hac conditione, ut nomen saltem pro pignore deponeretur. Erat illo tempore non saltem juvenibus gratum beneficium, sed mihi ipsi quoque, quod reperissem genus officii, quo mereri benè de proximo possem, idque pro gloria Filii DEI, qui id fieri serio voluit, & ut facerem, multis & magnis in me indignum collatis beneficiis induxit cunctantem. Ne verò mihi ipsi damnum inde oriretur, petii pro amore Filii DEI, quod ipsum quoque beneficium jure suo postulare videre posset, ne aut damno afficerentur, aut lacerarentur, aut abalienarentur*

narentur volumina. Et quanquam non pari religione ab omnibus id observari, negligentius Codices tractari, in communi convictorio relinqui, angulos concuti, immo verò imagines ære expressas erui videbam, dissimulavi tamen omnia, & dissimulassem quoque in posterum. Sed duodecim Codices non ita pridem ablati sunt, sine nomine. Petii hactenus, ut aut nomina deponantur, aut libelli restituantur, sed neutrum horum factum est. Repetii quidem per affixam schedam, sed nemo reddidit. Et sic quidem illi emanserunt. Non sine causa metuo, Juvenes, ne, si ad hos XII. tacerem, & reliqui omnes, quos habeo, eodem periculo exponantur, crescente ex dissimulatione audacia. Quando igitur sanctissimi Numinis metu ingratæ manus se cohiberi passæ non sunt, cohibeant vectes & claustra. Et sicut initio, amore juvandi communia studia, Museum meum liberaliter & hilariter aperui: ita nunc idem justo metu, ne perdam media, quibus juvare volui, subtristis atq; invitus claudo, & ingressum arceo. &c. Sed & porro nemo Bibliotaphiam istam reprobaverit, quin maximè potius laudaverit, quâ celantur & è juvenum manibus excutiuntur libri bonis moribus contrarii, inprimis obscœni, quorum Auctores apertè verbis lasciviunt, & petulanter [illegible]juntur de membris, quibus sexus discernitur, aut actus impudicos hominum salacium & impurorum describunt. Cujusmodi plures nominare possemus, nisi metueremus Catalogum illo-

illorum offendiculo fore juventuti & forte occasioni, ut majori cum industria in illos inquirant. Etenim, ut scribit *Ad. Rechenbergius*, diss. de libris obscœnis, §. 18. *ex depravata hominis indole omnibus constare potest, obscœna scripta esse illecebras cupiditatum, & blandimenta vitiorum, Sirenum cantus & Circes pocula: præsertim si juvenibus proponantur, quorum ætas, ut idonea jam deliciis, ita rerum latarum specie capti, severiorem plerumq; prudentiam, quæ primo adspectu molesta est, susque deque habent. Adde, quod amor, ceu validissimus juxta ac pertinacissimus affectus est, si in ipsis non incunabulis pereat, sed spurca hujusmodi lectione excitetur potius, nullis fere remediis subsequentibus annis aut expelli prorsus, aut sanari possit.* Quemadmodum ergo benè agit, qui homini furioso arma, quibus se lædere potest, eripit: ita eandem merentur gratiam, qui instrumenta libidinis vesanis juvenum mentibus occultant. Notanter verò diximus libros *apertè obscœnos* esse celandos. Quodsi enim omnes illos proscribere vellemus, in quibus subtilis occurrit obscœnitas, prohibenda certè essent non plerorumque solum Poëtarum carmina, verum etiam fabulæ Romanenses & similia scripta, obscœnitatem passim redolentia & lascivius quandoque loquentia, quorum tamen omnium obscœnitas tanta non est, ut eapropter prorsus sint occultanda, ut potius veluti mala necessaria sint toleranda. Legendus hic est *Mr. Bayle*, in dissertatione

tatione de obscœnitate, Dictionario ejus addita, cujus tamen sententiæ per omnia subscribere vix audemus. Adde *Gundlingii* Otia, Part. 2. p. 91. sqq. & in præfat. ad Partem 3. item die Neue Bibliothec, Tom. 2. p. 194.

§. XIV. Dum finem huic tractationi impono, forte incido in Claudii Clementis Musæum, Lugduni 1635. in 4. impressum, in cujus Libr. III. Sect. II. cap. 4. *de librorum communicatione & mutuatione* inscripto, insignis occurrit locus, materiam nostram de Bibliotaphis primi generis apprime illustrans. Qui liber cum non in omnium sit manibus, non gravabor integrum locum, etsi aliquanto prolixiorem, huc adponere. Ita verò habet:

***

I. Cum Ptolomæus Philadelphus missos ad sacros se libros Hebræorum, quos per literas petierat, non intelligeret, atque iterum aliis datis literis interpretes flagitaret, sic epistolam orsus est; Θησαυρὸς κεκρυμμένος, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης τὶς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις, *occulti thesauri & obsignati fontis quæ utilitas?* Hæc causa Judæis fuit mittendi septuaginta duos Interpretes, qui vetus Instrumentum in Græcam lingvam converterent. D. Isidorus Pelusiota (L. 1. ep. 399.) simili dicto Candidum quendam carpit, qui multos domi habebat libros ornatissimo & speciosissimo quodam ordine dispositos, nec tamen iis utebatur, aut aliis

utendos concedebat; vocat enim illos θησαυρὸν ἀνωφελῆ καὶ ἄχρειον, *thesaurum inutilem & nullius frugis*, è quibus tamen petatur laurus velut è mustaceo. Sunt quidam βιβλιοτάφοι, *seu librorum defossores*, *literarii polypi*, qui ubi librum aliquem tetigerunt, ita illum tenent, ut nunquam dimittant, potiusque impetres à Charonte ut manes, quos transvexit, revehat, quàm ut unum librum ab istis hominibus commodato accipias, licet interdum scientiam in injustitia detineant, sintque affines Simplicio illi Monacho, quem S. Isidorus Pelusiota (L. 1. ep. 127.) his verbis castigat. *Plurimos libros, ut audio, emisti, atque opinione locuples es eorum lectionem ignorans, atque idem faciens, quod ii, qui frumentum comprimunt, ac tineas alunt: nam libri quoque tinearum patres & nutritii fiunt, cum vinciuntur; quare aut opibus tuis utere, aut ingentem eruditionem ne læde. Nimirum hic quoque comicios sales colligens, dum librorum corruptor, aut librorum sepulchrum, aut tinearum altor appellaris; atque coram DEO accusationem congerens, ut qui ingens utilitatis talentum occultaris, &c.* Illiberale istud hominum genus sale & aceto, ut meretur, egregiè lavat, & perfricat Franciscus Petrarcha, præsertim cum isti homines non aliter utuntur suis libris, quam gryphes auro, cui semper incubant. *Sunt*, inquit, *qui quidquid scriptum domi habent, nosse sibi videntur, cumq; ulla de re mentio incidit: hic liber*, (inquiunt,) *in meo armario*

mario est, hoc tantum idque sufficere opinantes, quasi simul in pectore sit, elato supercilio contice-scunt. Ridiculum genus calle alio niti oportet, ut ex libris gloriam quæras, non habendi, sed noscendi, cerebroque, non armario concludendi sunt, alioqui vel librario publico, vel armario ipso glorioſior nemo erit. Hi libros in vinculis tenent, qui si forsan erumperent, & loqui possent, ad judicium te privati carceris evocarent. Nunc flent taciti, multa quidem, nominatim illud, quod persæpè unus iners affluit avarus, quibus multi egeant studioſi. Hæc, quæ retulimus, & ea, quæ afferemus, videntur innuere tenacitatem hanc librariam proprium vitium esse illorum hominum, qui (ut ait ex Pythagora Umbertus, c. 136. in c. 23 reg. S. Aug.) *armarium doctius habent, quam pectus*, volunt tamen audire in vulgus docti; quod se facilius consecuturos sperant, si quemadmodum imperiti tonsores multa specula & multas forfices proponunt, cum sæpè periti ejusdem artis vix aliud instrumentum habeant, præter novaculam unam, unas forfices, unum speculum; ita illi magnam librorum multitudinem, penè dixi incommunicabiliter asservent; tantumque sibi adimi de opinione & fama eruditionis arbitrantur, quantum librorum de Musei sui forulis demtum erit.

II. Mihi equidem fuit conjunctio & satis intima necessitas & usus cum viris verè doctis; at inter eos reperi neminem, qui libros mihi utendos non facile præbuerit, illico ad minimum

nutum non miserit; plures, quam qui opus erant, peramanter non obtulerit. Nec fortasse mentiar, si dixero, sordes illas literarias & illiberalem librorum custodiam posse interdum oriri ex avaritiæ cujusdam fonte eò sanè turpioris, quo ad animi bona propiùs spectat. Certi quidam Timones sunt, qui tabescunt aliorum bono, & alieno incremento sibi decrescere videntur; cuperent exsculpi omnibus oculos intelligentiæ, ut inter cœcos regnarent lusci: vel certè, quia & ipsi cœci sunt, & indocti, vel cæteros esse sibi similes. Rem acu tetigit Lucianus, hac illos similitudine subsannans. Καὶ σὺ τοίνυν ἄλλῳ μὲν δεηθέντι χρηστέος, ἂν τὰ βιβλία χρήσασθαι δὲ αὐτὸς, ἐκ ἂν δυνάιο· καὶ τοὶ ὐδὲ ἐχρησας· ὐδενὶ βιβλιον πώποτε; ἀλλὰ τὸ τῦ κυνὸς ποιεῖς τῦ ἐν τῇ φάτνῃ καθαλμένης, ἢ ὅτε αὐτὴ τῶν κριθῶν ἐδίει, ὅτε τῶ ἵππῳ δυναμένῳ φαγεῖν ἐπιτρέπει. *Et tu alii quidem cui usus esset, commodare librum certè posses, ipsis uti non potes, tametsi nulli commodasti unquam, facisque hoc tantum, quod canis in præsepe, qui cum hordeo non vescatur, equum tamen volentem pasci haud sinit.* Horatius non ablùdit (L. 2. Serm. Sat. 3.)

- - - - Uter est insanior horum?
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli.
- - - - - - Quid discrepat istis,
Qui numos aurumq; recondit nescius uti
Compositis, metuensq; velut contingere sacrum?

Si

Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet, cum longo fuste, neq; illinc
Audeat esuriens Dominus contingere granum.

Certè admodum illiberalis & sordida librorum avaritia est, & ferè eorum duntaxat propria, qui nec illis uti sciunt. Haud ita me amo, ut aliquem inter doctos mihi vindicem locum: tamen puto me habere cum illis hoc commune, ut libentissimè libros, qui penes me sunt, commodem: neque mihi conscius sim unquam ullum recusasse cuiquam petenti: adeoque vehementer odi illam malignitatem, ut bis terque cum voluptate perlegerim Cælii Calcagnini Epistolam ad Comitem Thomam Calcagninum Nepotem suum, (L. 2. ep. 12.) quâ reprehendit, nescio cujus sive invidam, seu vanam, seu sordidam illiberalitatem. Eam objurgationem hic repræsento totidem verbis, ut eos etiam feriat, & castiget, qui simili labe infecti sunt.

CÆLIUS CALCAGNINUS COMITI THOMÆ CALCAGNINO NEP. S.

III. *Quod is, quem tu rectè βιβλιοτάφον appellasti, inepta usus excusatione, recusaverit nobis vetustum Demosthenis codicem accommodare, tu minimè irascendum homini tam malè officioso putas: & ejus quasi patrocinium tuis literis suscepisti, existimans thesauros condi oportere,*

& tunc mysteria esse desinere, cum promulgantur: denique si hoc vitium perexiguum esse contendis, & de quo minimè amicitiam rescindi deceat. At contra (mi fili) sentio, tibique tam perversam opinionem (si modò ea opinio est, & non potius ironia) nullo modo velim probari, qua urbanitas & beneficentia mutuaque inter homines societas tollitur. Quid enim fœdius, quam unde tu nullum detrimentum referas, alteri nolle accommodare? Quid verò tu appellaveris nisi invidentiam, & pessimi animi testimonium? An non isti libenter (si eis liceat) solem de mundo sustulerint, ne cæteris affulgeat animantibus, indigni prorsus vita, atque hoc communi æthere, qui rem tam præclaram, id est, humanitatem liberalitatemque prodant, & quantum est in ipsis, è consortio humani generis depellant. At tu thesauros condendos putas; hoc etiam putant avari homines, at ego pretiosissima quæque ad utilitatem mortalium nata, aut inventa in communem maximè usum puto esse prodigenda, ut omnibus plurimum prosint. Nam Musicæ absconditæ quæ demum utilitas? ut est in proverbio. Et quænam alia ratio summum illum æviternum opificem rerum conditorem illexit, ut tot mari terraque animalia, ut tam eximiam orbis molem strueret, nisi ut bonitatem munificentiamque suam largissimè omnia experirentur? cujus exemplum nos homines inter cuncta ingenio & ratione honestatos maximè decet imitari. Mysteria verò semper mysteria sunt, modò

modò in aures prophanas non instillentur. Demum quod perexiguum vitium putas, ego maximum judico. Nam quid honesti ab eo expectari potest, qui absque ullo suo incommodo præsidia ingenii amico denegarit? Apud Athenienses scimus non parricidas, non plagiarios, non depeculatores publicæ execrationi, qua singulis annis utebantur, fuisse obnoxios: sed eos, qui vel roganti viam ostendere, vel lumen de lumine accendere, vel aquam ex profluente præbere recusarent. Prudenter scilicet existimaverunt eum nihil sceleris, nihil flagitii in homines non admissurum, qui res tam obvias, tamque illaboratas denegasset. Ad summam putato infelicis inauspicatique ingenii, ac sibi parum confidentis esse ea abscondere, quæ vel ad publicam utilitatem fortuna exposuit vel natura genuit, vel DEUS erogavit. Bene vale.

IV. Hæc quidem labes in omni homine penitus fœda est, inhonesta, indigna; verum in homine religiosam paupertatem professo plane non ferenda. Multa in hunc locum luculentè collegit Nigronius noster, (in reg. 8. comm.) quem per otium consulere poteris. Habet inter cætera unum aut alterum, quod vel pudorem, vel metum & religionem injicere possit; quamquam de gravitate culpæ hîc nihil statuo, cum nec ipse definire quidquam voluerit. Alvarus Pelagius Episcopus, ex Ordine Minorum ante annos trecentos Juris Canonici consultissimus, & Theologus insignis, Ordinis sui collapsam

pſam diſciplinam deflens, ſic ait; (L. 2. de planctu Eccleſiæ, c. 64.) *Libros & res alias, quibus non utuntur, aut ſenio, aut infirmitate gravati, aut quia vadunt alio, & ibi libros & res dimittunt ſub ſua clauſura, aut quia eos duplicatos habent, ſuis fratribus præſtare nolunt, & ſic verè ſunt proprietarii, & peccant mortaliter: nam ex quo libro, aut alia re non utitur religioſus in præſenti, vel in proximo modico non uſurus eſt, ille liber, vel res, id eſt, uſus ejus rei competit alteri religioſo uti volenti, quia uſus communis eſt.* Quam grave id ſit, S. Bernardinus Senenſis (in caſib. reſerv. n. 7.) ſatis indicat, cum illud refert inter caſus, quos *Reſervatos* vocant. Sanè non modò ſcripta in Codice Juris, (l. 2. ff. de aqua pluv. arcenda) verum etiam innata eſt hæc lex; *ut quod tibi nihil, aut certè parum nocet, & alteri prodeſt, facile concedendum eſt.* Et Caſſiodorus (l. reſcripta, C. de prec. Imper. offer.); *Non debet eſſe difficile beneficium, quod largitate non patitur detrimentum.* Mittamus Aſpendios citharistas, qui ſibi ſolis canunt. Laudemus potius liberale ingenium illorum, qui libenter fecere aliis ſuorum librorum copiam, ſimiles *Coſmæ* illi, cui cognomen *Scholaſticus*, de quo eſt mentio in prato ſpirituali. (Jo. Evirrati c. 172.) Is multitudine librorum locupletiſſimus erat, facileque in hoc genere opum ſuperabat omnes, verùm tanto dignior erat illis divitiis, quanto melius noverat earum uſum

usum extendere ad plurimos, quibus libenter ac benevolentissimo animo accommodabat. Ego in hoc genere nihil fingere animo possum humanius, nihil nobilius, quam id, quod sæpenumero expertus sum Madriti. Degit in hac urbe regia D. Gilius Gonzales de Avila, Chronologus Regius, qui doctior an humanior sit, vix scias: multiplex doctrina in eo quidem eximia est, temporum verò incredibilis; argumento sunt varii illi Commentarii, quos edidit editque; testes verò quotquot eum noverunt literati omnes. Ego viri laudatissimi fama permotus ejus cognoscendi studio exarsi: eadem porro ipsa die, qua vel primum illum invisi, nec solum inexhaustam historiæ cognitionem sum demiratus, verùm etiam quam verbo vix satis expressérim, humanitatem; nam & libros, quos selectissimos habuit, non tantum mihi utendos obtulit, sed obtrusit omnes; tum de quibusdam rebus postea consulenti tanto animi candore respondit, sine ulla exceptione temporis, vel laboris, ut ejus cor omnium Musarum eliquata ingenuitate imbutum esse putes.

V. Eadem rursus commodandi difficultas nasci posset in aliis ex mixta superbiæ invidia, adeò ut non suos tantum libros comprimant, ne eorum utilitas & fructus ad alios quoque perveniat; verum etiam, si quæ exemplaria ejusdem argumenti alibi sunt, ipsi ea libenter redimerent universa, ut eorum usum omnem cæteris eriperent,

rent, & fruerentur soli. O Pestes hominum! qui sicut laude aliena tabescunt, ita aliena tenuitate & inopia se crescere arbitrantur. In re affini hanc pravæ mentis affectionem Lactantius in quibusdam Philosophis reprehendit: *Philosophi sic virtutem humano generi datam amplexabantur; tam invidi, ut si velint deligare oculos, aut effodere cæteris, ne solem videant.* Quam comiter & generosè Zozimas (ille, de quo Raderus in viridario Sanctorum, part. 3.) se gerebat in commodatione librorum? qui vel in furto sibi ablatis adeo æqvum ac facilem se præbuit, ut ex eo, quod narraturus sum, intelliges. Commisi (inquit Zozimas) Notario cuidam scitè & eleganter characteres formanti, qui tamen erat Monachus, ut mihi sacrarum literarum volumina describeret: absolutâ operâ misit, qui mihi nuntiaret laborem esse peractum, curarem per aliquem, si videretur ad me deferri: & audiit hoc quidam de cœtu fratrum, & profectus ad librarium meo nomine, exigit libros & avertit. Ego ignarus facti misi ex domesticis quempiam cum literis & tabula rationum, uti reciperet Biblia descripta. Notarius animadversâ alterius, qui scripta averterat, fraude, indignatus se tam fœdè circumventum. Ibo, inquit, & reum postulabo duorum criminum, quod ita in me illuserit, & rem alienam abstulerit; Quod ego cum intellexissem, misi, qui diceret Amanuensi: non ignoras, mi frater, sacras literas eô nomine comparari

parari à nobis, ut inde charitatem, manſvetudinem, & modeſtiam diſcamus. Quod ſi nobis uſus Bibliorum pariat contentiones, non cupio librum ullum, ne altercari cogar, famulum DEI non decet litigare, en ego lubens libri jacturam faciam, dummodo alteri ob hanc cauſam ne moleſtus ſis. Idem Zozimas memor olim hujus ſenis (cui volumen ab altero vicino fuerat clam ſubductum, dicebat haud ignoraſſe, quis ille eſſet, qui codicem furto ſublegerat, nec tamen unquam ab eo reprehenſum) quin immo contentius pro eo laboraſſe, quod diceret fortè illum magnopere indigere. Quæro abs te; poſcenti commodatò librum negaſſet, qui nec furto ſibi ablatum repetiit?

VI. Duo ſolent vulgo excuſare, qui vitio illo laborant, quod inſectamur. Quæruntur vel ſibi omnino libros non reddi, vel labefactatos reſtitui. Benè mones, quisquis hoc cauſaris: & tu, quid in hac re agendum ſit, accipe. Nemo unus, quicunque tandem ille ſit, librum commodato efferat è tuo Muſeo, quin prius ſuum nomen, diem, & librum, quem effert, in tabula ad id propoſita ſcriptum relinquat, ut cum eo, vel cum aliis, ad quorum manus fortè perveniet, agere poſſis ex chirographo & prolatis tabulis. Tum intra menſem, v. g. ſe relaturum eodem ſcripto promittat; ſi non reſtituit ad diem, debitorem interpellare non erubeſces: ſi fidem fallit, & promiſſum non præſtat, tuum erit

CA-

cavere, ne iterum fallat: si ad diem repræsentatur, verùm usu leviter subtritus, paulò decoloratior; haud proinde stomachaberis: vix enim fieri potest, ut quis libro quantumvis considerate & decenter utatur; quin aliquantulum deterior & obsoletior fiat; usu enim & attritu necesse est rem omnem consumi; sed statue apud animum tuum, damnum quod fortè tuo codici illatum est, cumulatè sarciri obligatione, & debitione gratiæ, qua tibi illum devinxisti. Si fœdum in modum deturpavit, laceravit, attramento, oleo, alitervè inquinavit: haud propterea quamprimum fontes tuæ benignitatis & urbanitatis velut indigno occludendos censeo; quia ejusmodi casus evenire per imprudentiam interdum possunt circumspectis vel qui maximè; perge porro: crede mihi, plus illi dolebit, quam tibi, si gratus est: atque hunc in modum magis illum tibi obligas, quam valere possit tuus liber: si per supinam negligentiam quid ejusmodi accidere animadvertis: tum verò luat & discat, qui rem aliquam utendam poscit, solicitius esse conservandam, quam propriam; ac tegumento aliquo idoneo cavendum esse acceptis commodato voluminibus; Et si forsan aliquid insignioris damni illis illatum sit; alios recens emtos novosque & integros pro corruptis, vel insigniter detritis reponendos esse, ex mutuæ urbanitatis legibus.

VII. Hæc

VII. Hæc duo, quæ causari solent, qui gravatè aliis suos libros accommodant, habent aliquam speciem legitimæ excusationis: vereor tamen, ne plerumque illa tenacitas oriatur ex avara & sordida quadam indole nonnullorum, qui ita rebus suis incubant, ut auro gryphes, & ex propriæ naturæ vitio sunt ad largiendum restricti, nesciunt, quid sit liberalis voluntas gratificandi: nesciunt, quid sit de aliis promereri, multo minus, quid sit se in alios profundere; nec de nomine quidem eam virtutem norunt, quæ se totam in alienas utilitates porrigit & explicat. Veri polypi, qui si quidpiam semel mordicus apprehenderint, illud tam tenaciter complectuntur, ut morsum nunquam resolvant. Daniel Abbas, apud Cassianum, (coll. 4. c. 21.) codices enumerat inter ea, quæ quidam religiosam paupertatem professi, necdum liberi vitiosa illa ad avaritiam propensione quam secum in Cœnobium intulerunt: *iis, quibus uti necesse est*, inquit, *propensius habere student, quam cæteri, vel excedunt diligentiæ modum, peculiarius ea attentiusque custodiunt, & ab illorum contrectatione defendunt, quæ universis fratribus deberent esse communia.*

OBSERVATIO VIII.

FABULA DE HATTONE à MURIBUS CORROSO.

SYLLOGE.

§. 1. Hattones varii in historia celebres. §. 2. Hattonis II. Archi-Episcopi Moguntini vita. §. 3. Scriptores, qui eundem à muribus corrosum esse asserunt. §. 4. 5. 6. Fundamenta hujus narrationis. §. 7 Fabulam rem totam esse ostenditur, tum auctoritate doctorum Virorum, §. 8. 9. 10. tum variis rationibus. §. 11-14. Testimoniis & fundamentis contrariæ sententiæ respondetur; §. 15. 16. in fabulæ originem inquiritur.

§. I.

DE Hattone II. Archiepiscopo Moguntino, ejusque, ut ferunt, luctuoso interitu acturi, meritò prænotamus, Hattonem hunc minimè esse confundendum cum Hattone I. primum Abbate Monasterii, quod dictum est Augia Dives, vulgo die Reichenau / post itidem Archiepiscopo Moguntino, qui *ob perfidiam, ac magnis viris structas insidias celebris est apud Autores*, ut cum *Centuriatoribus Magdeburg.* loqui liceat, è Cent. X. cap. 10. col. 585. Non

Non enim solùm Henricum Saxonem, cognomento Aucupem, ad Imperii decus tandem evectum, torque aurea artificiosè facta capere atque interficere tentavit, quod & procul dubio factum esset, nisi fraus ab aurifabro fuisset detecta, referente *Witichindo MonachoCorbeiensi*, Lib I. Annal. *Ditmaro*, Lib. I. Chronic. & *Albert. Crantzio*, Lib. III. Saxon. cap. I. sed etiam Albertum Comitem Bambergensem, violata juramenti religione, impiè circumivit, eumque Ludovico IV. Imperatori adversario tradidit, à quo capitis supplicio est adfectus, testibus *Luithprando*, Lib. II. Histor. cap. 3. *Hermanno Contracto*, ad ann. 910. *Sigeberto Gemblacensi*, Chronograph. ad ann. 910. *Ottone Frisingensi*, Lib. VI. Chron. cap. 15. *Godefrido Viterbiensi*, Chronic. Part. XVII. *Mariano Scoto*, Lib. III. ad ann. 908. *Christ. Lehmanno*, in Chron. Spirens. Lib. III. cap. 50. aliisque, & quæ sunt alia sicarii hujus & proditoris facinora, quibus adducti quidam eò facilius calculum suum addidêre *Compilationi Chronologicæ* ad ann. 914. apud *Pistorium*, Tom. I. p. 731. quæ memoriæ prodidit, Hattonem hunc I. à Diabolis in sublime abreptum, inque Æthnam montem præcipitatum esse, hac cum vociferatione: *Sic peccata lues, atque ruendo rues;* vid. *Matth. Dresserus*, Isagog. Histor. Mill. IV. p. 60. *Georg. Fabritius*, in Saxonia, fol. 106. *Joh. Wolffius*, Tom. I. Lect. Memorab. Cent. XII. p. 334. *Bruschius* & *Mersæus* apud Gualterium,

Tom. I. Chronici, p. 675. & p. 1398. *Phil. Camerarius*, Horar. Subciſiv. Cent. II. cap. 77. & alii. Quanquam ultima hæc narratio nonnihil monaſticarum fabularum oleat *Dn. Chriſtiano Thomaſio*, Tom. I. Obſervat. Hallenſ. Obſerv. VI. p. 74. & ſeqq. Hoc igitur cum carcinomate nequaquam confundendus eſt Hatto noſter II, neque etiam cum aliis ejusdem nominis, quorum paſſim mentio fit apud Hiſtoricos, v. gr. apud *Bruſchium*, de Monaſteriis Germ. p. 34. 36. 204. *Reginonem*, ad A. 964. *Hermannum Contractum*, ad A. 800. & forte alios.

§. II. Vitam & res geſtas Hattonis noſtri quod attinet, nemo Hiſtoricorum, ſive veteres illi ſint, ſive recentiores, quantum quidem nobis conſtat, fuſius illas expoſuit: quæ tamen in antiquiſſimis monumentis de eo reperire potuimus, licet pauca ſint, hic adſcribere placet. Fuit nimirum Hatto hic (cognomento alias Bonoſus dictus) avunculus Hademarii Fuldenſis Monaſterii Abbatis XIII, cujus tempore plurimi Monachorum cœlibatum cum conjugio permutaſſe leguntur, notante *Caſp. Bruſchio*, in Chronolog. Monaſter. German. pag 206. Cùm autem hic circa A. C. 956. peſtilentia, quæ eo tempore graſſabatur, è vivis tolleretur, Hatto eidem in Abbatia ſucceſſit. Vid. *Regino*, Lib. II. Chron. ad ann. 961. & *Lambertus Schafnaburgenſis* ad ann. 956. Anno 961. ab Ottone I, cognomine Magno, iter in Italiam parante Romam, ad ſtruenda ſibi habi-

habitacula & omnia in sui commoditatem ordinanda, est præmissus, cujus coronationem quoque, quæ paulo post Romæ facta est, præsentia sua illustravit, teste *Reginone* l. c. & *Catalogo Abbatum Fuldensium* ex Pronverio, apud *Joh. Gualterium*, in Chronico Chronicor. Ecclesiastico-Polit. Tom. I. pag. 1119. Anno 962. Romæ cum Gunthario, Herolfesfeldensis vicini Monasterii Abbate, subscripsit Augustali donationi, qua Ecclesiarum Principi Otto veteres opes ac dignitatem conciliavit, ceu refert *Christophor. Browerus* Antiquit. Fuldens. Lib. IV. num. XIV. 285. Anno 968. cum egregii animi specimen dedisset, Monachorumque Fuldensium cœtui per duodecennium non sine magna laude præfuisset, Moguntina sede per obitum Wilhelmi vacante, Hatto, secundus ejus nominis Archiepiscopus, Ottonis Magni opera, constitutus est. Verùm dignitate hac non diu fruitus; siquidem anno primo Episcopatus nondum completo juxta plurimos decessit. Utrum naturali, aut tragico mortis genere id factum, de eo inter Historicos non convenit, quibusdam prius, aliis, iisque longè pluribus, posterius, eum scilicet à muribus esse corrosum, affirmantibus. Liceat ergo controversiam hanc historicam excutere, & observatione hac dispicere: *An Hatto II. Archiepiscopus Moguntinus revera à muribus sit corrosus, vel utrum hæc narratio pro ficta & commentitia potiùs habenda sit?*

§. III. Hattonem II. omnino à muribus esse corrosum tradunt: *Siffridus Presbyter Misnienſis*, Epitom. Lib I. ad ann. 923. *Compilatio Chronologica*, ad ann. 969. *Johannes Trithemius*, in Chronico Cœnobii Hirsaugienſis ad ann. 967. Part. II. Oper. pag. 35. *Gasp. Bruschius*, in Chronolog. Monaster. German. pag. 206. 207. item in Epitome de omnibus Germaniæ Archiepisc. & Episcopat. *Petr. Mersæus*, in Catalogo Electorum Ecclesiast. apud Gvalterium, Tom. I. p. 1399. *Conrad. Lycosthenes*, in Chronic. Prodigior. ac Ostentor. ad ann. 969. *Peterm. Etterlinus*, in Chronic. der löblichen Eydgenossenschafft / fol. 28. *Matth. Quade*, in der Teutschen Nation Herrligkeit / cap. 54. p. 211. *Theodorus Engelhusius*, in Chronic. pag. 172. edit. Jo. Jac. Maderi. *Centuriatores Magdeburg.* Cent. X. cap. 10. col. 590. *Sebast. Münsterus*, in Cosmograph. Lib. V. cap 162. pag. 910. *Matth. Dresserus*, in dem Sächsischen Chronico, fol. 199. *Theod. Zwingerus*, in Theatro Vitæ Human. Vol. II. Lib. 7. Vol. XIV. Lib 3. & Volum. XVII. Lib. 8. *Martin. Zeillerus*, Itinerar. Germ. Part I. cap. 14. pag. 315. & cap. 30. pag. 625. item in Topographia Archiepiscop. pag. 10. *Simon Majolus*, Tom. I. Dier. Canicul. colloq. 7. *J. H. Hottingerus*, in Histor. Eccles. N. T. Part. II. Sec. X. Sect. I. pag. 80. 81. *Marc. Fridr. Wendelinus*, in Admirand. Nili, cap. 21. qui omnium acerrimè sententiam affirmativam propugnat. Conf. *Christ. Matthias*, in

in Theatr. Historic. sub Ottone I. pag. 879. der gelehrte Criticus Tom. I. quæst. XXXII. p. 317. sqq *Moreri* & *Hoffmannus* in Lexic. & qui sunt alii hujus generis scriptores plurimi.

§. IV. Ita autem rem contigisse vulgo narrant: *Ingruerat* scilicet *circa A. C. 969. Ottone I. imperante, Moguntiæ tempus aliquod penuriâ rerum ad vitam necessariarum maximè calamitosum, adeò, ut pauperes non haberent, unde alerentur. Fame itaque pressi Hattonem tunc temporis Archiepiscopum convenêre, supplices alimoniam petituri. Is verò desideriis & necessitati eorum se subvenire velle simulans, ingentem mendicantium multitudinem in horreum quoddam, ac si frumenta inibi accepturi essent, convocatam, igne admoto miserè concremari jussit. Horum cum in mediis flammis ejulatus audiretur, dixisse fertur: en mures mintrantes,* höret / wie die Mäuse pfeiffen. *Sed non multo post divinæ iracundiæ vindicta in Archiepiscopum exarsit, in immanitatem hanc stupendo supplicii genere animadvertens. Tanta siquidem murium undiquaque prorumpens turba in eum irruisse dicitur, ut quocunque se verteret, istiusmodi bestiolarum morsibus affligeretur. Si erat in alto, aut eminentiori quolibet loco, mures per parietes ascendebant, si verò incluſus, per rimulas intrabant, eumque infinita multitudine obruentes devorare penitus gestiebant, idque tanta importunitate, ut quantò repellerentur vehementius, tantò majori furore incurſarent. Cùm igitur*

se nusquam in terra tutum conspiceret Pontifex jam miserandus, in turrim juxta oppidum Bingen *in medio Rheni exstructam scapha subvectus ascendit, asylum sibi in hoc munimine sperans Sed frustra: transnatantes enim Rhenum mures turrim ascendunt, irrumpunt, Episcopum inquietant, lacerant, tandemque miserabiliter necatum consumunt.* Et hæc quidem est summa narrationis à supra memoratis Auctoribus relatæ.

§ V. Sed ne dixisse hæc solummodò videantur rationibus quoque quibusdam narrationem satis speciosè prolatam suffulciunt Et I. quidem ad traditionem à veteribus acceptam confugiunt: *Hæc*, inquit *Trithemius* l. c. *in hodiernum usque diem & à veteribus descripta legimus, & ab incolis terræ, ut à proavis perceptum auditu, ad nepotes referri non ignoramus.* Quis verò venerandæ antiquitati fidem derogare vellet? Amplius II. famam quoque ac rumorem communem in partibus suis esse jactant: famam inquam notoriam, *quæ in rebus historicis sæpè præferenda est iis, quæ ab uno atque altero in contrariam partem afferuntur* judice *Sam. Erichio*, in Exod. Hamel. pag. 109. Cum enim illa, juxta *Tacitum* in Agricol. cap. 9. *haud semper erret*, sed utplurimùm *in se aliquid contineat*, teste *Cicerone*, Lib. II. Rhet. ad Herenn. num. 8. hinc *famæ rerum standum* erit, *ubi certam derogat vetustas fidem*, ajente *Livio* Lib. VII. Histor. cap. 6. Inprimis autem III. validissimum pro stabilienda hi-

historiæ veritate argumentum duci posse autumant ex eo, quod apud Bingen/ Germaniæ apud Historicos non incelebre oppidum, in Rheni fluminis medio turris aliqua conspiciatur, qui murium turris, vulgo der Mäuse-Thurm/ in hodiernum usque diem audit. Einen Büchsen-Schuß unter der Stadt Bingen/ stehet auff einer kleinen Insul in dem Rhein der berufene Mäuse-Thurm/ gleichsam als ein kleines Schloß/ welches auff einen kleinen Felsen/ und aus grossen und wehrhafften Steinen/ wieder alle des Flusses Wellen und Güsse erbauet ist/ scribit *Mart. Zeillerus*, Topograph. Archiepiscopat. p. 16 Conf. Itinerar. Germ. Part. I. p. 473. Part. II. p. 289. & 388. Quæ turris omnino *à luctuoso casu nomen sortita* esse videtur, indeque *testimonium de tanta Episcopi immanitate* & subsecuta pœna in hunc usque diem dicit, quemadmodum *Trithemius* & *Centuriatores* ll. cc. loqvuntur.

§. VI. Facere huc IV. quoque putant, quod non multum à Moguntia tumulus quidam situs sit, vulgo der Hattenberg dictus, *quod opinio sit, Hattonem in eo monte tùm recreationis, tùm parcitatis gratia construxisse sibi mansionem, ne pauperes & inopes eum facilius accederent, à quibus ut homo durus sui præsentiam per habitationem elongabat*, sunt verba MSCti, à *D. Georg. Heylmanno* Moguntino quondam Sigillifero concinnati, sub titulo MSCti minoris citati *Nicolao Serario*, Rer. Mogunt. Lib. IV. pag. 692.

Præterea V. pergunt, solet Historia hæc quàm sæpissimè à pictoribus vivis coloribus depingi. Immo VI. quid frequentius, quàm ut Rhetores Ecclesiastici plebem Christianam ab immisericordia erga pauperes dehortaturi, hoc divinæ ultionis in Hattone exemplum allegent, eoque non parùm sæpè auditores afficiant. Tandem VII. concludunt, eum, qui veritatem hujus relationis in dubium vocaret, insimul sanctitati occultorum DEI judiciorum non parùm derogaturum. Scilicet *non oportet cogitationibus nostris metiri opera DEI; nam supra mentem & sensum & rationem sunt*, ceu loquitur *Justinus Martyr*, Quæst. & Resp. ad Græc. Quæst. 10. p. m. 212. A. qualia quidem cùm justus DEUS in Hattone quoad justitiam suam ostendere voluerit, metuenda potius, quàm in dubium vocanda. Et quid multis! nonne alia quoque hujuscemodi judiciorum divinorum exempla in sacris pariter atque ptofanis scriptoribus reperiuntur? Quis non crederet Pharaonem cumque eo Ægyptum à ranis & pediculis fuisse vexatam? vid. Exod. VIII. Quis anceps hæreret Herodem à vermibus esse necatum? conf. Act. XII. 21. Nemo sanè hæc fide sua frustraverit. Quis itaque in credenda Hattonis historia morosior esset, eoque ipso miracula divina negaret? præsertim cùm multa alia apud Historicos divinæ in malitiosos ultionis, quæ per mures sese exeruit, exempla occurrant, quorum longam seriem vide-

videſis, apud *Philipp. Camerarium*, Cent. II. Horar. Subciſ. cap. 12. & *Simon. Majolum*, Tom. I. Dier. Canicul. colloq. 7 Ecce momenta partium Hattoni infenſarum, quibus fidem relationi ſuæ facere ſatagunt!

§. VII. Utut autem hæc ſpecioſè ſatis proferantur, tanti tamen ponderis non ſunt, ut nos in ſui aſſenſum pertrahere queant: quin potius auctoritate & fide Scriptorum, rem pro vera venditantium, ritè examinata, ac circumſtantiis narrationis probè conſideratis, firmiter ſimus perſvaſi, totam relationem monaſticum figmentum atque everruncatam inter eruditos fabulam eſſe, id quod ex jam dicendis cuilibet innoteſcet. Primum autem, quoniam *autoritas non ad obtinendum mendacium, ſed ad verum probandum adjuvat*, fatente *Cicerone*, Orat. pro Quintio & Lib. I. de Invent. n. 53. Lib. 2. Rhet. ad Herenn. n. 30. non errabimus, ſi autoritatem non ſpernendam autoritati, absque præjudicio veritatis tamen, oppoſuerimus. Hic autem ſtatim nobis nominandus venit *Nicolaus Serarius*, *Soc. JEſu*, *S.S. Theol. D. ac in Academia Moguntina Profeſſor*, qui Libr. IV. Rer. Mogunt p. 691. & ſeqq. ex inſtituto falſitatem narrationis de Hattone II. primus detexit. Pro commento hanc hiſtoriolam quoque, præter MSCtum minus, Serario citatum, habent *Catalogus Abbatum Fuldenſium* ſupra allegatus, cujus verba hæc ſunt: *Hatto II. duodecim circiter in munere conſumtis annis, ſit Mo-*

Moguntiæ Archiepiscopus. Hoc minus secundâ famâ, quod murium fabulâ triviales scriptores ejus clarissimo nomini hucusque illuserunt. Eadem ferè scribit *Christoph. Browerus*, Antiquit. Fuldens. Lib. IV. num. XIV. pag. 285. Suffragatur his *P. Hierem. Drexelius*, qui, quamvis à multis pro adstruenda narrationis veritate adducatur, contrarium tamen asserit. Cùm enim Tom. II. Oper. opusc 3 de Eleemosyn. part. 3. cap. 7. §. 3. narrationem illam exhibuisset, *hæc ego sic gesta non affirmo*, subjicit; & in citatis ad marginem adjectis *à Serarii partibus standum* esse censet. Nec obscurè *Jo. Henr. Bæclerus*, vir in antiquitate historicâ versatissimus, se eandem fovere sententiam innuit, dum Comment. de Reb. Sec. X. p. 348. post fabulæ hujus narrationem ita fatur: *Serarius* hæc *in Rebus Moguntinis negare conatur, de quo alii, & nos fortasse alias.* Præstitit id in Collegiis privatis, ubi figmentum hocce confutavit, ceu à *Magnifico D Fœrtschio* in Academia Jenensi edocti sumus. Ex recentioribus in hanc sententiam concedunt *Fridericus Spanhemius*, & Gottfried Arnold / quorum ille in Hist. Eccles. Sec. X. Sect. 10. §. 12. p. m. 1504. hic verò in der unpartheyischen Kirchen- und Ketzer-Historie / Part. I. Sec. X. cap. 5. p. 228. totum hoc negotium pro fabulâ & commento habent. Adjiciendi his denique ex Lexicographis realibus, das allgem. Histor. Lexicon, sub voce HATTO.

§. VIII.

§. VIII. Neque tamen sola autoritate nitimur; in promptu etiam sunt argumenta, eaque firmissima, quibus falsitas narrationis illius ad oculum demonstrabitur. Ante omnia verò I. notandus venit antiquorum testium defectus. Sanè, si, uti hodie res vulgò narratur, ea etiam sic gesta esset, non tantum à Scriptoribus συγχρόνοις diligentissimè relata, sed à proximè sequentibus non prorsus omissa fuisset. Jam autem in Scriptoribus, qui tribus proximis seculis vixerunt altum de nostra historia deprehenditur silentium, licet leviora & minutiora longè stylô complexi fuerint. Silent namque *Hermannus Contractus*, *Lambertus Schafnaburgensis*, & *Marianus Scotus*, seculo statim sequente clari; Tacent *Sigebertus Gemblacensis*, *Otto Frisingensis*, *Gotefridus Viterbiensis*, *Conradus à Lichtenau*, *Abbas Urspergensis*, & alii probatissimorum Autorum Seculo XII. florentes, de quibus omnibus per consequens cum ratione usurpare licebit illud *Melchioris Cani: Scriptores veteris ætatis non omisissent, si sciissent; sciissent omnino rem, si fuisset.* Lib. XI Loc. Comm. cap. 5. Neque est, ut quis excipiat, à testimonio negativo non valere consequentiam, seu, quod idem est, ex eo, quod Historicus, quis hoc vel illud non testetur, falsum id esse non posse concludi, præsertim in historicis, *ubi multa scripta non sunt, quæ tamen facta sunt*, judice *Alb. Crantzio*, Lib. III. Saxon. cap. 25. Nam largimur id equidem lubentissimè

de

de Scriptoribus ejusdem seculi, qui sibi mutuas operas ferre debent, unò suppliente illud, quod ab altero omissum est: sed, quando posteriores Scriptores comparantur cum συγχρόνοις, negamus; tunc enim horum silentium sive negativum testimonium sufficit evertendæ temerariæ illorum affirmationi; præprimis si illi, qui silent, absque favore & odio, neque obiter & perfunctoriè, sed ex professo historiam ejus temporis, in qua res acta dicitur, scripserint: præterea etiam res, de cujus veritate disputatur, non sit levis planè, verùm alicujus momenti, quæque facilè poterat ad omnium notitiam devenire, & quæ sunt alia hujusmodi requisita, quæ vide in *Joh. Musæi* disputat. de ratione argumentandi à testimonio Historicorum Jenæ 1643. edita, §. 37. & seqq. Quales quidem characteres cùm in Autores citatos quàm maximè quadrent, silentium ipsorum in hac relatione firmissimum est argumentum pro adstruenda ejus falsitate. Immo II. si dicendum, quod res est, quidam illorum tacitè huic commento refragari videntur, dum Hattonem mortuum esse simpliciter dicunt. Ita namque *Lambertus Schafnaburgensis*, in Annal. ann. 969. *Anno* 968. *Wilhelmus Archiepiscopus moritur, cui Abbas Fuldensis Hatto successit, Abbatiam verò suscepit Wernher*; *Anno* 969. *Hatto Archiepiscopus Moguntiæ* NB. obiit, *cui Rutbertus successit.* Eadem ferè habet *Marianus Scotus*, Chron. Lib. III. ætat. 6. ad ann. 969. & alii, qui

qui omnes ne verbum quidem de tragica quadam morte habent, quod certè tanquam circumstantiam maximè memorabilem non omisissent, si tota res non fictitia esset, indeque vocabulo *obiit* in propria & communiori significatione, qua pro morte naturali adhibetur, usi creduntur. Quibus III. accedit, quod dissentientium nonnulli, veluti *Mersæus, Brusthius, Lycosthenes &c.* sepulturæ ejus, Moguntiæ in templo S. Albani propè alios Episcopos, mentionem faciant; *Heylmannus* verò in MSCto citato, apud Serarium, Epitaphium ipsi positum fuisse testetur, in quo omnia bona & felicia de Hattone II. extent. Si itaque sepultus fuit Hatto, quomodo à muribus corrosus dici poterit? quòd quæso ei tunc aliud præter murium ventres sepulchrum? & quis pateretur memoriam hujusmodi Tyranni per elogia publica ad posteritatem transmitti? utpote quæ illis tantum debentur, qui præ reliquis virtute & præclarè gestis eminuêre.

§. IX. Non parùm quoque IV. rem totam suspectam reddit Autorum, fabulam hanc verè contigisse referentium, mira fluctuatio. Quemadmodum enim *veræ historiæ indicium est, si de iisdem omnes eadem dicant atque conscribant*, teste *Flav. Josepho*, Lib. I. contra Appion. ita contra, judice, *Seneca*, Epistol. XI. *nunquam falsis constantia est, variantur & dissident.* Conspiciendus se autem præbet dissensus hic (1) *in persona seu subjecto narrationis.* *Theodorus* siqui-

siquidem *Engelhusius*, in Chron. l. c. insigniter confundit Hattonem nostrum cum Hattone I. de quo obiter supra §. I. quædam attulimus. Postquam enim historiam de callida deceptione, quâ Hatto ille I. Adalbertum circumiverat, narrasset, ita subjicit: *Iste Hatto devoratus est à muribus in Rheno. Idem post mortem visus est à dæmonibus in puteum Ætnæ præcipitari.* Eodem modo & *Wilh. Eisengreinius*, in Chron. Spirensi, apud *Phil. Camerarium*, l. c. peccat, Hattonem nostrum II. Ostro - Francorum Ducem appellans, qui tamen character Hattoni I. proprius fuit, referentibus *Bruschio*, in Chronolog. Monast. Germ. p. 36. & *Mersæo*, in Annal. Archiep. Mogunt. *Maximil. Misson*, in Itinerar. quod *Christ. Junckerus* germanico idiomate auctius Lipsiæ 1702. edidit, refert, quod hæc historiola de alio adhuc, præter Hattonem, Archiepiscopo Moguntino exhibeatur, sibique hôc modô narrata sit, ita enim p. 56. scribit: Es hat mir ein gar gescheidter Mann / mit welchem daselbst gesprochen / versichert / daß er den Verlauff dieser Sache in mehr als einer Chronick desselben Landes gelesen / und sich noch besinnen könne / daß der Ertz-Bischoff Renaldus geheissen. Ita sibi ipsi non constant Auctores circa eum, cui fabula hæc affingenda sit. Neque (2) *in temporis delineatione* congruere, quin potius mirum in modum illos discrepare deprehendas. *Siffridus* rem anno 923. contigisse refert. *Math. Dresserus* in

in dem Sächsischen Chronico, fol. 199. ita: Anno 1101. fraſſen die Mäuſe den Biſchoff zu Maynz auf / daß man von ihm nichts fand als eitel Knochen. Addit: So das vom Biſchoff Hattone verſtanden wird / trifft es der Jahrzahl nach mit andern nicht überein. *Matth. Quade*, l. c. hæc ad annum 914. ponit, cui & *Münſterus* adſtipulatur, Lib. V. Chronogr. cap. 162. quamvis cap. 148. ſibimet iterum apertè contradicat, rem anno 969. factam eſſe dicens. *Centuriatores* ad ann. 970, Trithemius verò & reliqui ad A. C. 969. hæc referunt. Ut adeò duobus ferè ſeculis, in tempore ſtatuendo ab invicem diſtent: id quod omnem fidem narrationi huic adimit. *Apud quos* enim *confuſa & diſſoluta temporum eſt ratio, illis nec hiſtoriæ veritas conſtare poteſt*, inquit *Tatianus*, Orat. πρὸς ἕλληνας. Inprimis autem (3) *in circumſtantiis fabulæ* recenſendis admodum variant Hiſtorici. *Engelhuſius* cauſam devorationis hujus inter alia eam ponit, quod Hatto jurare conſvetus fuerit: *ſi non dico verum, mures me devorent*, cui & *Eiſengreinius* l. c. aſſentitur, putantes nimirum, hâc circumſtantiâ addita, eò probabiliorem narrationem ſe reddituros eſſe. *Conr. Lycoſthenes* & *Matth. Quade* tradunt, Hattonem noſtrum, cùm pauperum in horreo combuſtorum ejulatus audiret, non, ut alii volunt, in jocum impium erupiſſe, ajendo: Höret / wie die Mäuſe pfeiffen / ſed ex indignatione forte dixiſſe, pauperes *illos ſimiles eſſe*

muribus, qui nullum usum hominibus præstent, frumenta tamen digerant. *Trithemius* & *Merſæus* ll. cc in ea ſunt opinione, quod tertio Pontificatus anno nondum completo hæc triſtia fata Hattoni acciderint, cùm tamen reliqui omnes ferè, eum undecim ſaltem menſibus Epiſcopatui præfuiſſe, referant: & rectius quidem, fundamentum ſcilicet in antiquis Hiſtoricis, *Lamberto Schafnaburgenſi*, *Mariano Scoto &c.* habentes. *Centuriatores*, *Merſæus* ac alii paſſim dicunt, qvum Hatto vidiſſet ſe à muribus ubique arrodi, eum curaſſe, ut turris in medio Rheni alveô exſtrueretur. *Trithemius* autē prævidens hoc ſtatuere inſulſum fore, cùm multum temporis in hujusmodi turrim ædificandam impendendum fuiſſet, indeque dicendum eſſet, mures cum Hattone interea inducias pepegiſſe, turrim, in quam Hatto confugit, jam antea ad cuſtodiam patriæ exſtructam fuiſſe, inquit. *Bruſchius* in Chronol. Monaſt. pag. 207. ait, futuri infortunii infauſtum Hattoni præſagium fuiſſe, *quod nomen ipſius è pictis quoque parietibus mures, ipſo adhuc incolumi, abrodiſſent*, quod demum poſt fata Hattonis contigiſſe *Centuriatores*, cumque iis *Zwingerus* ll. cc. perhibent; & quæ alia hujus generis ſunt contradictoria, quæ faciunt, quo minus veritatem hujus narrationis nobis perſvadere poſſimus, cogitantes illud Philoſophi: *falſitati & mendacio proprium eſſe, non poſſe cohærere.*

§. X.

§. X. Tandem V. ut probabile quoque adducamus argumentum, reperias Hattonem nostrum passim apud Historicos laudibus evehi. Sic *Bruschius*, in Chronol Monast Germ. pag. 206. de eo fatur, quod, Abbas Fuldensis existens, *egregii animi specimen dederit*. Pariter & *Centuriatores*, Cent. X. col. 590. eum *magnâ laude Cœnobio Fuldensi præfuisse* affirmant. Factum hinc autumo, ut ab Ottone Magno Imperatore, non solùm in expeditionibus quibusdam adhibitus fuerit, sed &, post obitum filii Wilhelmi, ab eodem ad Archiepiscopalem dignitatem evectus sit, referente *Bruschio*, Epitom. Archiepiscop. & Episcop. cap. 2. quod sanè Otto Magnus, Princeps, teste *Luithprando*, Lib. IV. Histor. cap. 4. pietate & justitiâ in distribuendis præmiis maximè clarus, non feciſſet, nisi Hattonem moribus & meritis dignum huic muneri prævidisset. Si itaque tam bonus fuit Hatto, si vitam tam inculpatam gessit, antequam ad functionem superiorem admoveretur, quî dici poterit eum à virtutis tramite intra tam breve tempus, quô Episcopatui præfuit, in totum deviasse? probabile sanè hoc minimè videtur. *Nemo* enim *repentè fuit turpissimus*, canit *Juvenalis* Satyr. II. vers. 83. unde nemo æquitatis studiosus tale quid de Hattone, *Episcopo glorioſi nominis* (ut ex *Catalogo Abbat. Fuldensium* ap. Jo. Gvalterium l. c. loquar) dixerit, præprimis, cum vix ullus Principum sub dominationis auspiciis immanis & crudelis,

sed liberalis potius, clemens & benignus præsumatur, juxta tritum illud :

- - mitissima sors est
Regnorum sub Rege novo.

Et ita quidem, quantum putamus, satis patebit, historiolam illam de Hattone II. Archiepiscopo Moguntino minimè fide dignam, sed commentitiam potiùs ac fabulosam esse.

§. XI. Agedum verò videamus, quid in recessu habeant illi, qui veritatem fabulæ huic adstruere satagunt. Et initio quidem, quod multitudinem Auctorum, supra allegatorum, concernit, in genere primum reponimus vulgatum illud: *multitudo errantium non facit errori patrocinium.* Scil. *cum historia propriè loquendo sit narratio earũ rerum gestarum, quibus rebus gerendis interfuit, qui narrat*, secundum Verrium Flaccum, apud *A. Gellium*, Lib. V. Noct. Att. cap. 18. iis tuto tantum credetur, qui aut oculati fuerunt testes, aut ad minimum aliorum relationes de re aliqua gesta, verum à falso secernendo, cum judicio examinarunt. Lubentissimè siquidem concedimus, non omnibus testibus auritis fidem esse derogandam, memores illius *Senecæ*, Lib. IV. Nat. Quæst. cap. 3. quod *secundæ notæ testes sint, qui vidisse quidem se negant, sed audiisse affirmant.* Utrumque jam in Auctoribus citatis desideratur; præterquam enim quod *αὐτόπται* minimè, recentiores autem omninò sint, reperies illos narrationem hanc nude & simpliciter tantùm referre, ne-

neque de circumstantiis facti cautè examinandis sollicitos esse, quod tamen ad relationem historiæ, si fides illi habenda, omninò requiritur. Deinde, ut ad specialiora quoque deveniamus, notari meretur, quod seculum X. in quo hanc historiolam contigisse ferunt Auctores, fabulis Monachorum admodum fuerit refertum. Unde est, quod de misero hujus seculi statu passim conquerantur Scriptores, inter quos est *Wernerus Rolewinck*, in Fascic. tempor. ad ann. 914. *Baronius* ad ann. 900. n. 1. *Bellarminus*, in Chronolog. ad ann. 970. *Genebrardus*, Lib. XV. Sec. X. ad ann. 901. & alii. Est hinc quoque, quod pauciſſimi memorentur hôc seculo Historici alicujus notæ, obscuriores verò Monachi plures, qui nîl nisi legendas & fabulas transmiserunt ad posteritatem, prout pluribus exemplis id comprobat *Fridr. Spanhemius*, Hist. Eccles. Sec. X. Art. 10. §. 2. col. m. 1492. Non mirum igitur, quod Historici, qui, ceu dictum, tribus & quod excedit post seculis claruêre, veluti *Siffridus*, *Autor Compilationis Chronologicæ* & *Trithemius*, genio seculi hujus mendacis ad profunda falsi abrepti, plus fabulis, quàm veritati indulserint: inprimis cùm veterum traditione solùm nitantur, cujus fidem, non uti par erat, sub examen revocârunt. Amplius neque hoc sicco, quod ajunt, pede transeundum, quod dissentientium nonnulli sibimetipsis non constent, an pro fabula, an verâ narratione rem venditare debeant; quapropter

eandem in suspenso relinqvunt. Ita namq; *Trithemius* l. c. *huic fabulæ autoritatem nec damus, nec rursus subtrahimus.* Neque aliter *Münsterus* l. c. sentit, ita inquiens: Wilt du es für eine Fabel halten / will ich mit dir darumb nicht zancken. Reliquos Scriptores memoratos quod attinet, qui hanc scriptis pervulgare ausi sunt fabulam, eam tamen non audent asseverare, sed plerique his phrasibus utuntur: *dicunt, ajunt, ferunt, narrant, &c.* quæ quotiescunque narrationi alicui immiscentur, suspectam eandem reddunt, eò quod fide alienâ, non propriâ, nitantur. Denique accedit, quod Scriptores novelli omnes fere, quotquot sunt, vel auctoritatem Trithemii cœco impetu sequantur, vel unus ex altero bonâ fide historiam exscripserit, quâ occasione sæpe fit, *ut Historici alii, aliorum errore ducantur*, ut *Bodinus* fatur, Method. Histor. cap. 4, quibus per consequens eadem fides habenda, quæ fontibus, unde sua hausêre.

§. XII. Circumstantias fabulæ jam considerare possemus, ubi reperiremus, papavere quidem & sesamo aspersas esse, multa tamen minùs cohærentia insimul continere. Ita deprehenderemus, relationem hanc annonæ caritatem, circa A. C. 969. in Moguntina diœcesi præsupponere, cujus tamen Historici omnes, qui scriptis hæc tempora illustrarunt, nullam prorsus mentionem injiciunt. Videremus *speciem* nullam habere, quando dicunt Hattonem horreum incendisse; si enim, juxta

juxta communem hypothesin, parcus & avarus fuit, quomodo frumenta in horreo magnis sumtibus exstructo incendisset, sibique hâc ratione sponte majus detrimentum accersivisset, quam si, vendendo horreum, & frumenta in illo reposita distribuendo, egestati mendicantium subvenisse:, & quæ complura alia hujusmodi forent. Verùm cùm ad illa, ceu minus universalia, multa iterum excipi à dissentientibus possint, merito hæc mittimus, ad rationes potius iliorum progredientes, quas pro viribus examinabimus. *Primum* verò antiquitatem & traditionem à Veteribus acceptam urgebant. Verùm quod de Ethnicis scitè admodum scribit *Chrysostomus: Gentiles, cùm re nullâ se possent defendere, Patres, Avos & Proavos in suam adducunt excusationem*, idem & de illis, qui antiquam esse & à majoribus hanc fabulam se accepisse dicunt, reponimus. *Non potest* enim *antiquitas præjudicare veritati*, ait Autor Quæstion. in V. & N. T. apud *Augustinum*, Tom. II. Oper. neque adeò traditio à veteribus accepta fabulam in veram Historiam transmutare poterit. Nec obstat commune proverbium: *nullum peccatum veterascit, vel ad senectutem procedit.* Unde enim, quæso, constat Trithemio aut aliis, hanc de funesto Hattonis exitu narrationem de seculo in seculum propagatam esse? Nemo certè testari potest de iis, quæ ante suam ætatem gesta sunt, nisi id aut è senioribus adhuc superstitibus, aut ex Historicis

probatis hauserit. Jam utut Trithemius à veteribus descriptam dicat hanc historiolam, nullum tamen adducit Historicum, qui tribus post seculis leviſſimam ejus faciat mentionem; licet, inquam, per traditionem ad posteros propagatam dicat, nisi tamen interest, quo minus & narratio, per plura quoque secula propagata, falsa esse possit, eò quod errandi occasionem præbuerit unus aliquis fabulator, quem reliqui nimis imprudenter deinceps secuti fuêre. Fateor equidem lubens, Historicos omni exceptione majores aliquando meminisse eorum, quæ per senum traditionem quasi cognoverunt, unde *Tacitus* Lib. III. Annal. c. 16. *audire me memini ex senioribus*, ait: sed quales hi seniores? hujusmodi certe, qui rebus gestis ipsimet interfuerant, id quod colligere licet ex iis, quæ paulo post habet: *narratur hoc ab iis, qui nostram ad juventutem duraverant.* Ostendendum itaque Trithemio fuisset, quomodo hæc fabula à proavis ad nepotes devenerit, quod omninò requiritur ad hoc, ut citra hæsitantiam dici possit, historiam aliquam per traditionem esse propagatam. Sunt denique nonnulli Historicorum Platoni similes, de quo eleganter *Jul. Cæs. Scaliger*, Exercit. in Cardan. quod *omnia crediderit tanquam vir bonus.* Reperiuntur quoque haud pauci, qui relationibus suis hoc epiphonema addunt: *Sit fides penes Autorem*, teste *Seneca*, Lib. IV. Natural. Quæst. cap. 3. ex quorum numero fortè & Trithemius, unde

unde & hic locorum citra examen accuratum relata referre videtur, sicque absque intentione fallendi, falsa pro veris exhibet. Quod amplius *secundò* famam in suas partes trahebant dissentientes, lubricum hoc esse fundamentum, quilibet facile fatebitur. Quam fallax enim illa sit, præter experientiam quotidianam, *Ovidius* testis est, Lib. XII. Metamorph. fab. 1. canens:

Mixtaq; cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum, confusaq; verba volutant.

Immo *ne tunc quidem, cùm aliquid verè asserit, sine mendacii vitio est*, judice *Tertulliano*, Apologet. cap. 7. Sed potius

\- - - *Veris addere falsa*
Gaudet & è minimo sua per mendacia crescit.

Ut iterum fatur *Ovidius*, Lib. IX. fab. 3. Sin verò ad rei alicujus, ut veræ, probationem advocatur fama, accuratè illa est examinanda; secus enim *in rumore, cujus probationes, cujus argumenta non habes, calumniæ genus est*, optimè *Quintilianus* ait, Declam. XI. quod cùm circa relationem hujus narrationis intermissum sit, fama nihil ad ejus veritatem confert, quin potius omnem fidem eidem derogat.

§. XIII. *Tertio* adversariorum nostrorum argumento, quod achillæum esse sibi persvadebant, meo quidem judicio exactè satisfecit *Nic. Serarius*, duplicem denominationis causam, cur turris illa vulgò **der Mäuse-Thurm** dicta sit, afferens. *Primùm quidem* l. c. inquit, *qui ex-*

plorat & è specula quidpiam speculatur, hunc instar catorum feliumve muribus insidiantium, mausen *dicimus, i. e. murire, seu mures expectare & captare. Quia igitur specula in Rheni medio fuit turris hæc, & ad ostium vel mercium naviumque vectionem explorandam erecta, ideò* Mäuse-Thurm *vocari cœpta est.* Fundamentum habet hæc Serarii conjectura in ipso *Trithemio*, qui turrim illam, in quam confugit Hatto, ad custodiam patriæ olim exstructam fuisse asserit, unde probabile omninò est eam abhinc nomen suum sortitam esse. Alteram denominationis causam his *Serarius* proponit verbis: *Cùm solitariam desertamq; domum, cujus nullus jam inhabitator, videmus, eam murium, qui in illa scilicet impunè regnant, domum vocamus* (ein Ratzen- und Mäuse-Nest). *Qui loquendi modus videtur etiam veteribus non displicuisse, quandoquidem de domo, quæ muribus ac mustelis ædificata non sit, tam splendidè loquatur Tullius Lib. II. de Nat. Deorum. Jam verò fuisse turrim istam habitationis omnis inanem quis ignorat?* Innituntur itaque hæ turris illius, à Serario adductæ, etymologiæ idiotismis lingvæ germanicæ, unde non possunt non, quin & nos eò ducant, ut calculum nostrum Serario addamus. Immo, si dicendum, quod res est, non potest turris illa ab Hattonis luctuoso exitu nomen accepisse. Videtur enim, turris hæc post tempora Hattonis à Willegisio Archiepiscopo Moguntino demum exstru-

exstructa esse. Patet id ex versibus quibusdam, barbaris quidem, antiquissimis tamen, de hoc Willegisio Moguntiæ in æde S. Stephani conspiciendis, quorum tres, teste *Serario*, ita sonant:

Pontem construxit apud Aschaffenburg, benè duxit
Ac pontem per Nahe: *miles transit quoque verna,*
Et benè necesse propè Bing Mäusen *dedit esse.*

Ubi ultima verba omninò ad turrim hanc alludere videntur. Quò spectat, quod *Martinus Zeillerus* in Topogr. Archiepiscop. pag. 16. se observasse refert, quando ita: Wenn der Rhein klein wird / so mercket man am Felsen umb den Thurm / der heute zu Tage stehet / daß entweder Mauren oder ein anderes Gebäude da gewesen / und daß mit grosser Mühe desselben Grund geleget worden / in deren grössern Steinen man etlich Mahlzeichen von etliche Creutzlein oder gleichsam Speichen von Rädern findet. Ecce particularum rotæ meminit, quæ quid aliud, quam insignia Moguntina indicant, per Willegisium, filium cujusdam fabri rotarii, aucta, vid. *J. P. Spenerus*, Oper. Herald. Part. Special. Lib. I. cap. 64. Has igitur Willegisius ille lapidibus fundamentalibus turris hujus, in sui, ut autoris, memoriam, sine dubio insculpi curavisse præsumitur. Quodsi jam, prout probabile videtur, turris illa à Willegisio fuit exstructa, quomodo ab Hattone, eique à muribus miserè illatâ clade, vocari poterat? quocirca priores illæ à Serario alla-

allatæ denominationis rationes genuinæ erunt, & consequenter appellatio illa Turris, quâ Mäuse-Thurm dicitur, Hattoni minimè præjudicare poterit. Idem esto judicium ad *Quarsum*, quod adducebant, ratiocinium. Neque enim ab Hattone audit tumulus ille Hattenberg / sed vel à custodia militari, quæ in montibus ac collibus collocari solet, quasi Huttenberg / vel ab asperitate quadam, acsi Hartenberg diceres, nomen accepit, prout *Serarius* non ineptè hariolatur. Et posito etiam, quod ab Hattone nomen suum trahat tumulus iste, quid exinde? nil sanè aliud, quàm quod eundem vel emerit, vel vineas, agros aut simile quid excoluerit, &c. nequaquam verò ex hinc inferre licet, quod sit testimonium avaritiæ ejus, vel quod solemne ei fuerit, propter incursum mendicantium illuc secedere, cùm hujusmodi homines brevis illa à Moguntia itineris distantia non deterruisset, quin Hattonem secuti fuissent; unde neque ex illo aliquid veritatis narrationi suæ conferre poterunt dissentientes.

§. XIV. Salivam movent, quando, *Quinto*, Pictores in suum subsidium vocabant. Pictores, inquam, qui *per parietinas & fenestrinas imagines ludunt, & hominum simplicitati illudunt*, judice *Richardo Montacutio*, in Orig. Eccles. Part. Prior. num. 178. pag. 162. quorum proinde consensus nil prorsus ad rem & veritatem confert. *Pictoribus* enim *si credimus, valde decipiemur, nec minus eris falsus, si ad eorum provocaveris auto-*

autoritatem; sequuntur illi majorum limites, ne discolor sit imago, inquit *Thom. Bartholinus*, de Cruce, pag. 35. Neque, *Sexto*, patrocinari huic fabulæ potest, quod pro suggestu illustrationis gratia sæpè adducatur. Ne enim dixerim, id ab ejusmodi Concionatoribus solùm fieri, qui in antiquitate historica parum versati, omne pro vero statim arripiunt, quod in suis exemplorum collectoribus Titio, v. gr. Hohndorfio, Stiflero &c. reperiunt: quemadmodum de quodam hujus farinæ Sacerdote refert *Melch. Canus*, Lib. XI. Loc. Comm. cap. penult. cui persvasissimum fuerit, *nihil omninò esse falsum, quod semel fuisset typis excusum*; id tamen certum est, si quando hujusmodi historiolæ à cordatioribus Homiletis adducuntur, illos utplurimum hanc ipsis annectere formulam: **Wir lassen dieses an seinen Ort gestellet seyn** &c. quâ ipsâ rem in suspenso relinqvunt. Neque enim vitio quis vertet Rhetoribus Ecclesiasticis, fabulam vel fictam in concionibus suis adducere historiam. Sunt enim hominum animi ita comparati, *ut sermunculis & fabellis quoque ducantur*, teste *Plinio*, Lib. V. Epist. 8. quocirca *nil prohibet, quò minus adhibeamus fabulæ dulcedinem ad ducendos persvadendosque hominum animos*, inquit *Julius Pollux*, Onomast. cap. I. modo prudenter id fiat, judice *B. Goezio*, Rhet. Eccles. Part. I. Th. VI. pag. 217. nec tales adducantur fabellæ, quæ risum quidem movere, flectere autem homines & ad salutem eru-

erudire non possunt. *Septimi* denique argumenti nexus infirmo admodum videtur stare talo. Quæ enim quæso consequentia: Judicia DEI sunt occulta & inscrutabilia, ergo eorum sanctitati non parùm derogant, qui Hattonem eadem fuisse experta negant? nulla sanè. Quamvis enim de antecedente nulli dubitemus, consequens tamen exinde non fluit. Præsupponunt siquidem dissentientes & pro concesso sumunt, narrationem illam de Hattone genuinam esse, quæ tamen, uti ostensum, nullâ prorsus gaudet veritate, unde ex falso principio argumentantur & apertè petunt τὸ ἐν ἀρχῇ. Neque quidquam pro stabilienda sententia valent exempla ex sacris adducta; alia quippe est ratio, cur ea in dubium vocare non liceat, ut qui de autoritate & infallibili hujus Codicis veritate persvasissimi sumus. Exemplis autem profanis si fidem tribueremus, faceremus id, quod testimoniis Historicorum probatissimorum suffulta forent, quibus tamen præsens narratio destituitur. Immo ne tum quidem, si ita essent comparata exempla illa, aliquid veritatis fabellæ nostræ communicarent, cùm à particularibus ad aliud particulare vitiosè sic concluderetur. Lubet hic adscribere, quæ *Melch. Canus*, Lib. XI. LL. Comm. cap. 6. prudenter animadvertit: *non modo recentiores minuve prudentes Autores, verum graves etiam, antiquos, eruditos, sanctos Patres, in divorum prodigiis sè fefelliſſe, partim dum inde veritatem petunt, ubi rarò*

rarò est eam invenire, nempe ex dissipatis pervagatisq; rumoribus; partim dum indulserunt vulgo, atque esse licitum historiæ scriptoribus, crediderunt, ea pro veris scribere, quæ vulgo vera habentur. Atque ita cuilibet procul dubio constabit, quàm debili innitantur fundamento omnia, quæ pro asserenda narrationis fide vulgo afferuntur.

§. XV. Perlustratâ hactenus quam de Hattone II. circumferunt fabulâ, iisque insimul remotis, quæ scrupulum alicui injicere possent, consequens est, ut in natales ejus inquiramus. Hoc siquidem certissimum est, nullam ferè dari posse fabulam, quæ non occasione veræ cujusdam historiæ excogitata fuerit, licet speciosis multijugi commenti ea obvoluta sit plumis: id quod vel sexcentis exemplis commonstrare possemus, si chartæ angustia & instituti ratio permitterent. Et ex mente *Serarii* quidem tria fabulæ nostræ incunabula esse videntur: 1. Turris illa prope Bingam vulgari nomine der Mäuse-Thurm appellata; 2. quod tum temporis forte adhucdum historia illa de Popielo Poloniarum Principe narraretur, quem, propter interfectionem viginti patruorum, una cum familia sua à muribus circa A. C. 830. esse devoratum, testes sunt rerum Polonicarum Scriptores, nominatim *Mart. Cromerus*, Lib. II. Polon. *Salom. Neugebauer*, Rer. Polon. Lib. II. p. 47. *Guagninus*, Hist. Polon. Tom. I. & alii. 3. Hattonis nomen, quasi

quasi Harto foret, i. e. durus & immisericors, quod ob famosam Hattonis I. calliditatem creditu perfacilè fuit. Hinc ergo fabulæ originem hunc in modum describit Jesuita: *Cùm, ut fit, navi vectores colloquerentur, & unusquisque muritum turrim vocasset, adjecit sensim alius, quam aut legerat, aut audiverat, polonicam narrationem, & hanc postea conjecit alius tertius in Hartonem seu Hattonem.* Hæc *Serarius* conjicit, quibus major quidem probabilitas forte accedet, si sequentia notaverimus. Scilicet (1) quod alia quoque exempla in historicis exstent eorum, qui circa hæc tempora à muribus devorati esse narrantur. Vid. *Mart. Zeillerum*, Part. II. Itin. cap. 8. pag. 115. *Georg. Fabritium*, Lib. II. Orig. Saxon. apud *Phil. Camerarium* l. c. &c. (2) Quod *Bruschius* similem casum referat, in Chronolog. Monast. pag. 563. de Comite quodam Rotemburgico, qui pauperum multitudinem in horreum ruri situm convocatam, incendiô A. C. 1011. deleverit. Ex quibus conjunctim sumtis facilè fabula quædam, mutatis circumstantiis loci, personarum, temporis &c. cudi, & de innocente Hattone prædicari potuit. Verùm sunt hæc omnia meræ conjecturæ, unde videamus, annon propius ad fabulæ hujus natales accedere queamus.

§. XVI. Facilè nos hic extricabimus, si sequentia momenta modò observaverimus. I. *Conradus de Lichtenau, Abbas Urspergensis*, in Chron. p. m. 159. refert, *Ottonis I. tempore* (quô ævô etiam

Hatto noster vixit) *persecutionem Monachorum gravem ortam esse, affirmantibus quibusdam Pontificibus*, (ex quorum numero forte & Hatto) *melius viros paucos vitâ claros, quam plures in Monasteriis esse, ideoque oportere conversationes eorum per Monasteria perspicere, & non benè conversantes abjicere.* Amplius II. notabilia sunt, quæ *Marianus Scotus* habet, Lib. III ætat. 6. ad ann. 976. inquiens: *Wilegesius restauravit divinum officium in monte S. Dysibodi cum Canonicis, quod Hatto præcessor ejus, vel hujus Ruperti Archiepiscopi, destruxit, expulsis inde Monahis.* Denique III. absque notatione non prætermittantur verba *Trithemii*, dicentis: Hattonem eapropter pauperes cremasse, *quasi inducerent famam super regionem suam mendicitate & otio, volens in hoc consulere tam eorum inopiæ, quàm utilitati communi.* Quæ omnia si combinemus, firmiter persvasi sumus, hanc fabulæ hujus esse originem: Ægrè nimirum Hatto desidiam pauperum, quô nomine tum temporis utplurimum Monachi mendicantes veniebant, tulit, unde illos ex Monasteriis expulit, vel reditûs eorum diminuit, vel, factâ fortassis in otiosa pecora animadversione quâpiam, ad laborem & studia impulit. Hæc Monachis otio assvetis minùs forte arridebant, unde ne hæc Hattonis in se, justa aliàs, severitas alios quoque ad sui imitationem traheret, & crimen in pauperes admissum, & DEUM illius vindicem ultoremque finxere, indeque in de-

decus ejus mendacium, acsi propter immiseri-cordiam à muribus esset corrosus, de eo propalasse, & Hattonis prioris malitiam huic imputasse creduntur. Quod hominibus eô tempore maximè credulis, addendo quasdam ex supra dictis circumstantiis, persvaderi facile poterat, qui proinde illud, quasi ex tripode dictum, pro vera historia arripuerunt, & ita ad posteros per anilem narrationem transmiserunt. Conf. *Spanhemius* & Arnold ll. cc.

OBSERVATIO IX.

DE VOCATIS AB ADAMO ANIMALIBUS,

ad Genes. cap. II. comm. 18. 19. 20.

in CL. V. HERM. von der Hardt.

DISPOSITIO.

§. 1. *Origo controversiæ circa vexatum Geneseos locum.* §. 2-4. *Peculiaris Domini von der Hardt de eo sententia.* §. 5. *Assecla ejus & impugnatores.* §. 6. *Difficultates sententiæ Hardtianæ insinuantur, quarum* prima *est, quod propriam vocum & phrasium significatum, præter necessitatem, derelinquat.* §. 7. 8. Altera, *quod coactam nimis iisdem significationem attri-*

attribuat, & textui quodammodo vim inferat. §. *9. 10.* Tertia, *quod in sanctitatem DEI videatur injuria.* §. *11.* Quarta, *quod imaginis divinæ in Adamo excellentiæ multum deroget.* §. *12.* Quinta, *quod, præter Mosis intentionem, verbis his ejus morale aliquod ineſſe, exiſtimet.* §. *13. 14. Dubiis Cl Viri reſpondetur:* primo, *à ſcopo & connexione textûs petito.* §. *15. 16.* Secundo, *quo obvertit iſtam animantium nomenclaturam vulgo creditam inutilem prorſus & vagam extitiſſe,* §. *17 - 19. hâc occaſione de uſu nomenclationis illius pluribus diſſeritur.* §. *20 - 24. Dubio* tertio *ſatisfit, quo Cl. Vir putat impoſſibilem plane fuiſſe omnium animantium nomenclaturam.* §. *25 - 27. Denique* quartum *ſolvitur dubium, quo objicit, nomina animantium hodie extantia, & quæ ab Adamo dicuntur profecta, naturas illorum plane non exprimere.*

§. I.

PRimam de ſenſu hujus loci aliquanto curatius diſpiciendi occaſionem *Juvenis* quidam *non indoctus,* (*a*) præbuit, quem *Chriſt. Theophilum*, profanum illum Epithalamii Salo-

R 2 monei

(*a*) Vid. Hardtii Epiſtolam ad Noltenium, ſtatim ab init. p. 3.

monei auctorem (*b*) esse, ab amico, rerum sic gestarum conscio, accepi. Hic carmine teutonico, in novi Vice-Rectoris, inclyti Medici D. Andr. Jul. Bötticheri, inaugurationem conflato hanc proposuerat sententiam: omni destitui fundamento, quod vulgo de Adamo perhibeatur, eum singulis animalibus nomina imposuisse; sed vocavisse eum animantia nominetenus, an aliquod sui nominis, i. e. sibi simillimum inveniret, conjugii vinculo jungendum. Licentiam hujusmodi Poëticam indigne, ut fas est, ferebant Theologi Helmstadienses, præsertim D. Jo. Barth. Niemeierus, atque adeo eundem placide redarguebant, & de tractanda magis sobrie Scriptura paterne admonebant. Confestim Philologus Academiæ Juliæ celebratissimus *Dn. Hermannus* von der

(*b*) In famoso hoc scripto Auctor, vulgo *Christian* Teuffel dictus, occasione connubii Principis Hæredis Regni Borussiæ, cum Principe Lüneburgensi, insigni scandalo evincere conatus est, Psalmum illum Propheticum de Christo XLV. in gratiam Regis Salomonis ab adulatore quodam esse compositum, nec nisi hujus veneres cum filia Pharaonis in sensu literali describere; castigatus ob id à *D. Polyc. Lyser*o, in Epistol. Exegetico-Polem. in Psalm. XLV. *Jo. Christophilo*, in der Warnung vor Theophili Erklärung des 45. Psalms & Autoribus der Unschuld. Nachr. An. 1707. p. 265. sqq.

der Hardt / Præpos. Mariæb. Lingv. Orient. P.P. & Ordinis Philosoph. Senior, Inquilini & Auditoris sui defensionem in se suscepit, data ad Paulum Martin Noltenium, Poëtam Laureat. Cæsar. & Philologum insignem. (c) Anno CIↃ IↃCCV. d. 24. Jan. epistola: *in Mosis, severissimi morum censoris historiam, Genes. II. 18 19. 20. de vocatis ab Adamo animalibus, in Bochartum*, Helmstadii in 8vo impressa, & plagulis duabus constante; ubi suam de genuina, quam existimat, hujus loci interpretatione sententiam distincte profert.

§. II. Nimirum mens Clar. Viri eo redit: Fallere & falli vulgi, inter Eruditos quoque, opinionem, Adamum omnibus brutis nomina imposuisse naturæ cujuslibet congrua; Judæorum hoc esse figmentum, nec vestigia illius facinoris apud Mosen deprehendi genuina. (d) Id potius in loco Geneseos allegato indigitari: Adamum fuisse jussum diu multumque inter viva animantia, quomodocunque vocarentur aut nominarentur circumspicere, num quod in illis

(c) Minus recte videntur informati fuisse Dn. Autores der Unschuld Nachr quando in recensione Epistolæ Hardtianæ, A. 1705. p. 228. Noltenium Auctorem carminis, quod motus primum excitavit, faciunt. Is enim Conrector est Schöninganus, nec nisi ad eum tanquam amicum suum Dn. von der Hardt / Epistolam dederat. (d) Vid. Epist. ad Nolten. p. 4.

deprehenderet, quod in ipsius auxilium adsciſci posset. Divino isthoc imperio obsecutum Adamum nominatim sive sigillatim omnis generis animantia percensuisse, sive domestica essent jumenta & cicuria, sive volucres, sive bestiæ agri aut feræ quæcunque, & sedulo expendisse, an aliquod illorum esset, quod ad auxilium desideratum societatemque ineundam, alendam, remque familiarem conservandam facere posset? Non tamen inter illa pro se inveniſſe auxilium, & tale quidem, quod præsto sibi semper esset, seu jugalem & laborum humanarum individuam sociam. (e)

§. III. Atque hoc divino instinctu imperatum Adamo studium Mosen deliberato, in memorabilem conjugii Adami historiam, inseruisse vult Cel. Auctor. Severissimum enim hunc morum censorem summo hoc ubique agere studio, ut Israëliticum populum ab inconditis gentium vicinarum moribus avocet atque abstrahat; ac proinde in ejus vitam bene rectèque instruendam summa semper sollicitudine invigilasse, & conjugii inter illos bene formandi curam mille modis gessisse, regulisque infinitis uberrime expressisse. Fuisse vero ea ætate fœcundissimum & turpissimum, non solum inter subjugandos Cananæos, sed & vicinos barbaros populos, morem, contra humanam indolem fœdæ libidini explendæ mancipatum,

(e) Epist. p. 17. 26. 27.

patum, cum brutis consvescere. Immo pestilentissimum hoc virus ipsum infeciſſe æstuantem populum Judaicum, in deserto palantem ac vicinorum scelera temerario ausu æmulantem. Hinc Mosen nobilem illam & momentosam, conjugalis ab Adamo quæsitæ, historiam ita temperare ac modestissime instruere, ut ad religiosissimum ipsius Adami judicium provocet, qui hoc genus commercii cum brutis homine indignum & naturæ adversum fœdumque, infandis morbis obnoxium, pro summa sua sapientia judicaverit. (f) Quod tanto diligentius agat Moses, quanto penetrantius Israëlitæ Adami exemplo moverentur, ut temere in bruta ruere desisterent, & à fœdo illorum abusu cum horrore abstinerent, nec humanum auxilium, inhumano more, ab inhumanis expectarent. (g)

§. IV. Præterea alium quoque vulgi apud idololatricas gentes receptum scrupulum Mosen, pro celso suo judicio, apposite & perquam scite hisce eximere, Dn. von der Hardt contendit. Gentiles siquidem in Ægypto, Arabia, Sabæa cæterisque regionibus finitimis turpiter vult fascinatos fuisse traditiunculis, de occulto & benigno animarum defunctarum utriusque generis ac familiarium Dæmonum cum homine commercio, tum quoad laborem & negotiorum auxilium,

(f) Vid. Epistol. p. 13. 14. 15. 16. 17. (g) Ibid. p. 27.

tum veneris usum. Horum ergo acciendorum defunctorum auxilium & familiarem Dæmonum usum, Gentilibus frequentatum, ab humano genere alienum hic loci à sagaciſſimo ſcriptore divino, in exemplo Adami, repudiari, utpote qui de auxilio quærendo ſollicitus, nonniſi inter animalia viventia circumſpicere juſſus fuerit, excluſis defunctorum animabus & dæmonibus advocandis; in quos pro blanda & humana ſocietate inſtruenda & auxilio quærendo non reſpicere integrum fuerit. (*h*) Atque hoc pacto, hiſtoriam hanc Moſaicam præſtantiſſimum ad virtutem, honeſtatem, decentesque mores calcar eſſe, & luculentiſſimam pro conjugali ſocietate apologiam. (*i*)

§. V. Novam hanc non eſſe ſententiam, ſed olim jam ab *Iſaaco Abarbanele*, (*k*) quanquam obſcurius aliquanto, propoſitam, ipſe Dn. von der Hardt fatetur, atque hinc verba hujus Rabbini ad calcem Epiſtolæ ſuæ adjecit. Videtur tamen & Abarbanel nil novi in medium protuliſſe, ſed impuram tantum, utut quadantenus emollitam, Talmudiſtarum recoxiſſe fabulam, qua illi, interprete *R. Salomone*, (*l*) ſtatuere non erubeſcunt: *Adamum cum omnibus beſtiis congreſſum*,

(*h*) Epiſtol. p. 23. 24. 25. (*i*) Ibid. p. 28. (*k*) Comment. in Leg. fol. 28. col. 2. (*l*) apud *Joh. Georg Dorſchæum*, Synopſ. Theol. Zachar. Part. II. Loc. 1. qu. 1. §. 23.

greſſum, non potuiſſe libidinem explere, quousque ad Evæ amplexus pervenerit. Calculo ſuo ceteroqui ſententiam Hardtianam adprobarunt *M. Joh. Chriſtoph. Ortlob* (*m*) & *Joh. Frid. Reimmannus.* (*n*) Recenſuerunt vero hanc ejus Epiſtolam *Acta Erudit. Lipſ.* (*o*) & de ea judicium tulerunt *Mr. Jaques Bernard,* (*p*) *Auctores* der Unſch. Nachr. (*q*) *D. Joh. Fechtius,* (*r*) *Mich. Henr. Reinhardus,* (*s*) & ſi qui forte ſunt alii.

§. VI. Hanc vero loci hujus expoſitionem, quo minus ea procedere poſſit, ſequentes premere videntur difficultates. Initio, quod proprium vocum & phraſium ſignificatum, qui primo ſtatim intuitu legentium animis ſeſe inſinuat, abſque ulla neceſſitate derelinquat. Textum ſi conſulamus, introducit divinus ſcriptor

(*m*) In Schediaſmat. bipart. Lipſ. 1708. edito, Part. II. de Caino non deſperante, §. 3. p. 44. (*n*) In dem Verſuch einer Einleitung in die Hiſtoriam Literariam Antediluvianam, p. 52. ſq. (*o*) Ann. 1705. menſe Junio, p. 247. ſq. (*p*) Nouvelles de la Republ. des Lettr. A. 1705. mois d'Avril, p. 410. ſqq. (*q*) Ann. 1705. p. 228. ſq. (*r*) In Indice Scriptorum Varenianorum, præmiſſo ejus Comment. in Eſaiam, Num. V. (*s*) In Programmate quodam germanico, de Paſſione & morte Redemptoris, Hilpershuſæ A. 1707. d. 14. April. edito, & cum aliis ejus ſcriptis nuper in 8. impreſſo.

DEUM T. O. M. ad Adamum omnem bestiam agri & omnem avem cœlorum adducentem: non acsi vi quadam externa animantia compulerit, bestias v. gr. cornutas cornibus, alias parte alia apprehendendo & ad hominem adducendo; sed quod illa interne moverit & incitaverit, atque ita *venire fecerit*. (*t*) Adponit statim Moses causam hujus à DEO procurati animantium ad hominem adventus, nimirum factum id esse *ad videndum*, (*u*) sive ut DEUS videret (*x*) מה־יקרא־לו *quid nomen impositurus esset illi*. Circa quam constructionem notari meretur: pronomen מה infinite hic & absque interrogatione occurrere, otiosum tamen minime esse, sed modum actionis exprimere, latine per *quid* vel *quomodo* vertendum. (*y*) Deinde verbum קרא *nominandi* & *appellandi* notitionem haud raro sustinere. (*z*) Et hoc quidem loco necessario

(*t*) Hunc enim significatum verbum, in Hiphil. h. l. occurrens, admittit. Vid. *Cl. Danz.* Interp. §. 86. (*u*) Ἀνθρωποπάθειαν hic esse, quilibet facile advertit, quare τὸ *videre* h. l. denotat vel *adprobare*, ut Gen I. 4. sq. vel *experimentari & specimen exigere*. Conf. Gen. XXII. 14. (*x*) Infinitivus enim resolubilis est in tempus finitum, *Danz.* Interp. §. 127. Conf. Gen. XXIV. 30. IV. 13. (*y*) Sic occurrit Exod. II. 4. c. X. 26. Conf. *Noldius*, in Concord. partic. ebræo-chald. p. 586. & 590. (*z*) Et quidem nominibus emphaticis.

sario in hac significatione esse interpretandum, non tantum exinde constare, quod cum litera ל denominando præfixa, construatur; (*a*) sed etiam ex ℣. 20. sequenti idem patescere, ubi eadem phrasis de Adamo effertur cum appositione ויקרא שמות *& vocavit nomina*; quod verò ℣. 29. vox שמות omissa sit, mirum adeo non esse, cum, ex genio lingvæ ebrææ, vox ab sensum supplendum deficiens sæpe virtualiter in sua conjugata lateat, (*b*) quomodo in verbo קרא vox שם virtualiter comprehenditur. (*c*) Denique ebraismus in phrasi hac est advertendus, dum diversis substantivis pronomen singulare לו in genere masculino respondet, quod relativum propterea distributivè est reddendum h. m. *ut videret, quid nomen impositurus sit illi, i. e. unicuique, & bestiis, & avibus*, quæ objectum appellationis illius existebant, & eapropter à DEO Adamo erant adductæ. (*d*) Lucem uberiorem expositio hæc fœneratur ex verbis immediate sequentibus, quibus inculcatur: animal quodvis ejusmodi etiam retinuisse nomen, quale ei

phaticis. Vid. Gen. II. 23. cap. I. 5. Num. XXXII. 41. & Lexicographos passim. (*a*) Conf. *Dantz*, Interp. §. 124. p. 127. 128. in notis. (*b*) Ita Genes. IV. 5. ויחר *& exarsit*, scilicet ardor iræ *Kaino valdè*, conf. I. Sam. XIII. 8. (*c*) Vid. *Dantz.* loc. cit. (*d*) Vid. Jos. II. 4. & *Glassium*, Gram. Sacr. Libr. III. tract. II. Can. XVII. p. 206.

ei indiderat homo. Ita enim pergit Moſes: וכל אשר יקרא־לו האדם נפש חיה הוא שמו Intricata hic quadantenus eſt conſtructio, circa quam facilitandam varie deſudant Interpretes; (*e*) triplici tamen via res commode expediri poterit. Vel ut dicamus, voces נפש חיה eleganter hic redundare. Quia enim præcedunt voces חית השדה item עוף השמים quibus relativum לו duabus vicibus reſpondet, non opus fuiſſe vocabula his æquipollentia נפש חיה iterum repetere: interim tamen ad augendam declarationem & tollendam amphiboliam voces has, poſt relativum לו, ex idiotiſmo lingvæ ebrææ, de novo repeti (*f*) hoc ſenſu: *& omne nomen quod impoſiturus erat illi Adam*, ſcilicet animæ viventi, *id nomen ejus eſſet.* (*g*) Aut dicendum eſt, pronomen relativum לו hic tantum

(*e*) Apud *Matth. Polum*, Synopſ. Critic. ad h. l. Vol. I. col. 26. & *A. Varenium*, Decad. Moſ. in Geneſ Dec. III. Loc. 3 p. 269. ſqq. (*f*) Similia exempla vide Gen. XIII. 16. Exod. VII. 11. Joſ. I. 2. &c. (*g*) Favet huic expoſitioni etiam accentuatio, cum Tiphcha in חוה majorem diſtingvendi vim habeat, quam Tbhir in voce האדם, certo indicio, voces נפש חיה ad antecedentia, non ad ſequentia referendas eſſe verba. Præterea rationem parentheſeos inter ſigna Tbhir & Tiphcha eſſe familiariſſimam, obſervat *Varenius*, loc cit. p. 270.

tum casum obliqvum designare objecti sui, videlicet nominis נפש חיה, sine propria casus nota occurrentis, adeoque in versione plane omitti posse, (*h*) h. m. *& omne nomen, quod impositurus erat homo* (ei) *animæ viventi, illud nomen ejus futurum erat.* Aut tandem Synchysis, seu verborum transpositio in propositione hac est statuenda, qua absconditus fuerit redditus verborum sensus, (*i*) hoc ordine in versione observando וכל נפש חיה שמו הוא אשר יקרא־לו האדם *& omne animalis viventis nomen illud est, quod Adam ipsi impositurus erat.* (*k*) Quamcunque demum probaveris interpretationem, id tamen certum atque evictum manet, omnino de imponendis brutis ab Adamo nominibus hoc loco agi. Id quod denique ipsa voluntatis divinæ ab Adamo facta, & ℣. 20. descripta executio abunde comprobat, qua homo nominasse dicitur שמות *nomina* omni jumento, omni avi cœlorum, omnique bestiæ agri; non eo sen-

(*h*) Ita Cant. III. 7. *lectus* (*ejus*) *Salomonis*, Job. XXXIII. 20. &c. vide *Danzium*, Interp. §. 39. p. 50. in notis. (*i*) Judæi vocant מקרא מסורס *textum inversum* vel *transpositum*, cujus exempla dabit *Glassius*, loc. cit. Libr. IV. tract. 2. Obs. 26. p. 750. (*k*) Transpositionem vocum, aliam tamen, statuit etiam *Raschi* ad h. l. Eam verò, quam suppeditavi, à Præceptore meo ז"ל *Dn. Danzio*, in scholis privatis, accepi.

sensu, quasi omnibus imposuerit nomen genericum נפש חיה *animæ viventis*, id enim jam antea habebant; sed nomina specierum, v. c. equi, bovis, aquilæ, anseris, leonis &c. Nescio an clarius quid dici potuisset, cum infinita exempla (*l*) conjunctarum illarum vocum: קרא שמות evincant, nonnisi de nominum impositione sermonem esse posse.

§. VII. Quemadmodum itaque hic, modo inculcatus, loci nostri sensus se proprietate literæ & nativo verborum significatu maximopere commendat; ita è contra Dni. von der Hardt interpretatio coactam nimis vocibus significationem tribuere, & textui quodammodo vim inferre videtur. Idem jam monuit *Mr. Bernard.* (*m*) scribens: *L'Ecriture ne doit point être expliquée par des Systêmes bâtis en l'air, ou sur des suppositions, qui n'ayent aucun fondement dans le Texte même. On ne peut bien l'expliquer, que par les régles de la bonne Critique. Or on ne voit pas que* Mr. von der Hardt *ait pris le moindre soin d'appeller ces régles à son secours pour apuyer son opinion.* Recte quoque desiderat paraphrasin, vocumque nexum & interpretationem, quam textui pariter ac suæ

(*l*) Confer Genes. III. 20. V. 2. XIX. 22. Num. XXXII. 41. Es. XLV. 4. I. Chron. VI. 50. Deut. III. 14. XXVIII. 10. &c. (*m*) Nouvelles de la Republ. des Lettr. A. 1705. m. d'Avril, p. 416.

ſuæ ſententiæ conformem Cel. Auctor dare non potuerit: *Il ne nous*, pergit, *donc pas même une paraphraſe exacte des verſets, qu'il prétend expliquer, & voulant lui en prêter une, nous n'avons pas pû apercevoir le moindre jour à faire parler Moyſe conformément à ſon opinion Les vuës, qu'il attribuë à cèt Auteur ſacré, ſont ſi éloignées, ſi contraires à toute ſorte d'apparence, qu'il faudroit avoir plus qu'une démonſtration, pour pouvoir ſe perſuader, qu'il les a eües veritablement.* Equidem defectum hunc ſupplere tentavit *Dn. Reimmannus*, (*n*) hanc vocum paraphraſin ſuppeditans: Es ſprach der Jova der HErr: Es iſt nicht fein/ daß der Menſch allein ſey/ ich will ihm eine Gehülffin ſchaffen/ die bey ihm ſey. Es hatte aber der Jova der HErr von der Erden gebildet alles Lebendige der Erden/ und alle Vögel des Himmels. Und er führete dieſelben zu dem Menſchen/ um zu ſehen/ was er zu ſich ruffen würde/ denn alles/ was der Adam zu ſich ruffen würde als eine lebendige Seele/ das ſolte ſeinen Nahmen haben. Und es rieff der Adam den Nahmen aller Thiere/ und der Vögel des Himmels/ und alles deſſen/ was da lebet auff dem Lande. Allein er hat vor den Menſchen keine Gehülffe funden/ die umb ihn wäre. Und da ließ der Jova der HErr einen tieffen Schlaff fallen/ und er entſchlieff/ und Er nahm ſeiner Ribben eine 2c.

Ve-

(*n*) Loco §. 5. allegato.

Verum versio hæcce partim mentem Dni. von der Hardt non penitus exhaurit, ut communiori potius sententiæ suffragetur, partim iisdem, quibus Philologi Helmstadienses, laborat difficultatibus.

§. VIII. Agedum vero in specie detorsiones quasdam vocum & phrasium, in nova hac exegesi conspicuas, ostendamus. Ita 1. quando ℣. 19. dicitur, DEUM Adamo adduxisse omnis generis animantia, ad videndum, quid nominis unicuique illorum impositurus esset homo, Cel. Vir verbum לראות non ad DEUM, sed ad Adamum refert, hoc sensu: *ut Adam attente contemplaretur, & curate in omni brutorum genere dispiceret;* (o) cum tamen infinitivus ille, gerundium latinorum exprimens, à verbo ויבא regatur, adeoque ad illud subjectum se referat, de quo dictum est ויבא אל־האדם *& venire fecit ad hominem*, quod erat DEUS: præterea si ad Adamum trahendus esset, suffixum sine dubio additum haberet לראתו *ad videndum illum*, i. e. *ut ille videret*, quod tamen hac vice non deprehenditur. Porro 2. phrasin illam מה־יקרא־לו Clar. Vir de advocatione brutorum animantium in vitæ consortium explicat, h. m. *ut Adam dispiceret, num quod illorum advocaret pro auxilio desiderato, aut ad se pro socia adsciscret.* (p) Ve-

(o) Vid. Epistol. ad Noltenium, p. 18. (p) Ibid. p. 19.

Verum ità potius dicendum fuisset מה־יקרא־לו מהם *quodnam ex iis in consortium sibi adsciturus esset.* Deinde dubito, an ullum aliquod exemplum proferre possit Dn. von der Hardt / quod solidè probet, verbum קרא, solitariè positum, ejusmodi *vocationem in adjutorium* connotare; quin potius in hac constructione non potest aliam, quam *nominandi*, notionem subire, uti paulo ante ostensum. Neque juvat Clar. Virum pronomen relativum לו; si enim vel maximè illud ad Adamum referretur, & per *sibi* esset exprimendum, q. d. *quale vocaturus sit sibi*, nihil tamen familiarius in S. Codice est, quam ut pronomina hujusmodi subjectum agens vel patiens quidem respiciant, peculiarem interim emphasin non habeant, sed in versione omitti possint. (*q*) Nec denique scopus historiæ fictam illam verbi קרא significationem ullo modo adjuvat, sed salvum eundem manere, utut verbum קרא in *nominandi* sensu accipiamus, suo loco demonstrabitur. Illatus quoque 3. potius quam innatus, videtur verborum sequentium וכל אשר יקרא־לו האדם נפש חיה הוא שמו sensus, ita ab Autore Clar. formatus: *quodcunq; ad se evocandum constitueret Adam*, pro adsci-

 scendo

(*q*) Sic Deut. XXXII. 5. *perdite egit sibi*, i. e. perdite egit. Exod. XXXIV. 1 *sculpe tibi*, i. e. sculpe, ibid. v. 27. *scribe tibi*, i. e scribe. Genes. VII. 2. *sume tibi*, i. e. sume &c.

scendo scilicet adjutorio, *animal erat, non ferendum nisi nomine animalis vivi.* (r) Præterquam enim, quod phasis הוא שמו simplicitate sua exegesin hujusmodi contortam respuat: nititur illa etiam hypothesi, præsuppositа quidem, nullo tamen indicio probata, acsi verbis his ad prohibitum cum animis defunctis & dæmonibus commercium respiciatur, de qua infra dicendi occasio dabitur. Tandem & 4. circa verba ויקרא שמות לכל־הבהמה se torquet nova expositio, hunc in modum illa capiendo: *nominatim sive sigillatim vocavit Adam obvia omnis generis animantia.* (s) Sic namque significatio nominis in adverbium nimis confidenter immutatur; quod equidem aliquando procedere potest, necesse tamen est, ut tunc una ex præpositionibus ב. ל atque מן nomini adverbiascendo præponatur, quæ indicet illud particularum significationem sustinere, (t) quale quid hoc loco non occurrit. Atque ita facile apparet, recentem Dn. von der Hardt interpretationem simplicitati literæ & phrasium constructioni non adeo esse consentaneam, adeoque ordinario loci hujus sensui, quem verba, quamprimum audiuntur, sine quæsitis ambagibus intellectui ingerunt, cedere debere.

§. IX.

(r) Vid. Epist. ad Nolten. p. 25. (s) Ibid. p. 26. (t) *Danz*, Interp. §. 132. membr. II. p. 142. Conf. Jes. XLIII. 1. XL. 26. XV. 4. Exod. XXXI. 2. Esth. II. 14.

§. IX. Sed & aliæ sunt difficultates novam hanc exegesin nimium quantum prementes. Quodsi enim vera essent, quæ Clar. Vir supponit: *DEUM animum Adami movisse*, ut, in quæcunque passim incideret animalia, attente contemplaretur, num quoddam illorum in sociam advocari posset, idque *divino instinctu* imperatum Adami studium Mosen his verbis exprimere, (*u*) tum prona esset sequela: DEUM ejusmodi aliquando præcepisse, vel ad talem hominem incitasse actionem, quæ in sua natura mala atque turpis existit. Annon verò hac hypothesi bonitas & sanctitas divina insigniter labefactetur; annon DEUS auctor & causa, ad minimum moralis, peccati hoc modo constituatur, quilibet haud difficulter advertit. Nimirum secundum receptam Moralistarum (*x*) sententiam: *jussio, consilium, consensus &c.* modi sunt, constituentes aliquid in esse causæ moralis: atque adeo, si DEUS aliquo horum modorum in turpem & malam influeret actionem, à participatione peccati absolvi non posset. Adplicemus hæc ad subjectam materiam. Turpis & in se mala actio est brutum aliquod in conjugium & vitæ adjutorium advocare, cum *natura* humana rectè sese habens *hoc genus commercii aversetur, fœdumque illud*

(*u*) Epistol. ad Nolt. p. 19. (*x*) Apud *Azorium*, Tom. III. Institut. Moral. Libr. IV. cap. X. sqq.

& infandis morbis obnoxium judicet. (*y*) Quodsi jam juxta Cl. Virum, vocatio hæc animantium in societatem conjugalem *divino jussu, motu, instinctu & nutu* ab Adamo instituta fuisset, immotè sanè sequeretur, DEUM ad malam & turpem actionem hominem incitasse, atque hoc ipso occasionem peccandi proximam ei suppeditasse, qua si in pejus abreptus fuisset, in brutum aliquod vitiosè irruendo, lapsus hic unicè in DEUM redundasset, cui, tanquam imperanti, obsequium denegare homini, propter obligationem

(*y*) Non diffitetur hoc ipse Dn von der Hardt/ Epist. p. 17. conf. *Pufendorf.* de O. H. & C. Libr. II. Cap. II. §. 2. Neque unquam memini, à quoquam thesin hanc serio in dubium fuisse vocatam. Quod enim *Joh. de la Casa* à multis imputatur scriptum, *de laudibus Sodomiæ*, in quo causam hujus criminis egerit, fictitium esse solidè comprobat *Mr. Menage*, in Anti-Bailleto, Tom. II p. 88. 153. ostendendo Antagonistas fefelliisse impudicum aliquod carmen, sub titulo: *Capitolo del Forno* editum, quod Casa adhuc juvenis & Laicus in laudes pudendorum muliebrium scripserit. Ipse quoque Casa pœnitentia ductus lasciviam carminis illius correxit, & palinodiam in carminibus suis latinis cecinit, uti idem *Menage* l. c. p. 108, 110 testatur. Conf. *Nic. Hier. Gundling*, in Obs. Select. ad rem literariam spectant. Tom. I. obs. 5.

tionem ex jure creationis ortam, nefas erat. Periculosissimi sunt scopuli hi, quos ergo ut evitemus, recens Clar. Viri interpretatio deserenda omnino videtur.

§. X. Excipi equidem contra hactenus dicta posset: I. DEUM instinctu hocce suo non serio intendisse, ut homo sociam sibi ex bestiis eligeret, nec adeo permisisse, ut advocatio hæc brutorum animantium in vitiosum actum erumperet; sed imperium & motum hunc divinum nudam tantum fuisse tentationem, qua DEUS sæpissimè usus deprehendatur. Præterea II DEUM turpem hanc & malam actionem jussisse, non qua formaliter talem, seu in se malam, sed in quantum illa ordinabilis erat in bonum finem, demonstrationem scilicet sapientiæ Adami, quæ Israëlitis in posterum exemplo esset, quo minus cum brutis, defunctis & dæmonibus libidinosè consvescerent. (z) Denique III. bonitatem & malitiam actionum unicè à voluntate DEI liberrima dependere, adeoq; advocationem illam bestiæ cujusdam in vitæ consortium, quæ per prohibitionem demum mala est reddita, ante interdictum hoc à DEO, tanquam absoluto Domino, pro bona & licita potuisse declarari. Sed facilis ad isthæc est responsio. Ad *primum* enim quod attinet, sciendum, Scripturam DEO utiq; quidem tentationem tribuere, sed non eam,

(z) Eo tendere videtur Autor Epistol. p. 26. 27.

quæ est seductionis ad malum, qua homo ad turpitudinem allicitur, sollicitatur ac incitatur; verum talem, quæ est probationis ad bonum. Jam verò brutum aliquod in conjugium sibi adsciscere actio, ut modo dictum, mala existit; nec ergo DEUS, salva sua sanctitate & justitia Adamum ad eandem tentare & seducere poterat. Ad *alterum* respondetur: bonitatem finis actiones aut volitiones non cohonestare, neque respectum superadditum tollere ipsam actionis malæ volitionem. Licet itaque DEUS, dum hominem ad evocandum sibi è brutis adjutorium instigavit, malam hanc actionem forte sub respectu boni finis imperasset, re ipsa tamen turpem actionem præcepisset, nec à causa peccati planè immunis esset: cum volitio turpitudinis causam ejus dicat; æquè ac Crispinus Monachus à furto minimè absolvi poterat, licet furtum eo fine vellet, ut eleemosynas inde erogare posset. *Ultima* denique exceptio falsa Scholasticorum & Reformatorum quorundam nititur hypothesi, quasi res omnes in se sint indifferentes, nihil verò suapte natura bonum aut malum, nisi accedente voluntate divina, lege externa actionum moralitatem determinante. Illa tamen non solum à Theologis nostris ad nauseam usque est explosa, (*a*) sed & à Reformatis ingenis, nominatim

Mose

(*a*) Præclarè hanc materiam pertractarunt *D. Danhawerus*, in Hodom. Calvin. p. 1097. sqq. *D. Osian-*

Mose Amyraldo (b) & *Petro Molinæo, (c)* dissensu suo candidè rejecta. Unicum hac de materia liceat adjicere judicium Theologi Rostochiensis primarii, *Dn. D. Fechtii: (d) principium*, inquit, *bonitatis & malitiæ manifestativum est lex, sine qua homo non nosset, quid ipsi sequendum esset, quid fugiendum; sed lex illa ab objectis suis dependet, & à principio reali, utpote in DEO ab ejus sanctitate & justitia naturali. Nec enim DEus aliter præcipere potest, ac ipsius natura requirit, ac permittit. Sicut DEUS pro lubitu suo facere non potest, ut homo rationalis sit animal irrationale; ita præcipere non potest, ut justitia, quæ in essentia & natura sua est virtus suum cuique tribuendi, sit injustitia: alias se ipsum & naturam suam, cui justitia involvitur, negaret. Potest ergo, ut lex manifestativum, ita DEI natura radicale principium boni & mali non immerito vocari.* Quare nec sic quidem jussio illa divina, ad eligendum sibi ex brutis vitæ consortium, cum sanctitate ejus in concordiam redigi potest.

§. XI. Imaginis divinæ primo homini per creationem collatæ, quanta fuerit excellentia, dici vix

D. Osiander, Coll. System. Part. IV. p. 256. sqq. *D. Calixtus*, Sen. in der gründlichen Wiederlegung Buscheri, Part. II. cap. 5. §. 139. (*b*) de jure DEI in creaturas, Dissert. 2. (*c*) In Anatome Arminianismi cap. III. §. 4. (*d*) Colleg. MSCT. in Theol. posit. Königii, quod vulgo *Privatissimum* dicitur, Loc. de Peccato, §. 4.

potest. Quodsi enim ratio humana sibi soli relicta, hodienum adhuc in statu corruptionis mira in rebus naturalibus & moralibus quandoque gaudet sagacitate, ut homo liberaliter educatus, quid sibi proficuum vel adversum, quid verum & bonum, quid contra falsum & malum, honestum & turpe sit ratiocinando advertere possit; quantam sane primus homo in statu integritatis debuerit habuisse intellectus perfectionem, facile ex hinc intelligitur. (e) Huic verò divinioris judicii in Adamo ἐξοχῇ non parum sententia Dni. von der Hardt derogare videtur. Secundum hanc etenim concipiendus nobis est Adam in ignorantia & rudi simplicitate, tanquam infans aliquis conditus, qui prorsus nesciverit, naturam animantium brutorum suæ non esse consentaneam, sed id demum per inductionem & experientiam addiscere necessum habuerit. Equidem Clar. Vir advocationem & percensionem illam bestiarum pro insigni specimine summæ sapientiæ ac prudentiæ oculatissimi Adami venditat, qua nimirum comprobatum dederit: *nullam planè cum ullo bruto familiarem consuetudinem naturæ humanæ esse convenientem;* (f) verum thesis hæc sine dubio Adamo, imagine divina tunc ornato, per se jam constabat: neque

(e) Nemo solidius materiam hancce exposuit *D. Seb Schmidio*, elegantissimo de Imagine DEI tractatu. (f) Epistol. ad Nolten. pag. 17.

neque adeo opus erat, ad connatam hanc veritatem sibi acquirendam, sigillatim omnia animantia, quocunque venirent nomine, *attentè considerare*, vel *seriem illorum curate & plus simplici vice pertexere* (g) Certè simplicitatis potius, quam eximiæ prudentiæ documentum foret, si quis multo cum labore & sollicitudine rem quandam explorare vellet, quam primo statim intuitu comprehendere potis est. Poterat verò Adam, uno tantum vel altero animali obiter perlustrato, confestim intelligere, nullum illorum in desideratam societatem advocari posse. Ratio siquidem & experientia ei dictabant, similem creaturam simili semper gaudere; omnia autem bruta sibi in præcipuis esse dissimilia uno intuitu edocebatur; cum nec quoad corporis structuram, ejusque summam pulchritudinem, nec quoad rationem & illius interpretem loquelam, similesque dotes, ullum ei, vel in minimo gradu, accederet. Sciebat præterea Adam, & videbat, omnia animantia à DEO esse condita למינהם *juxta species illorum*, (h) atque hinc, tanquam sibi heterogenea, nullatenus, nisi cum fœda μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, adsciscì in connubium debere. Quî ergo probabile esset, judicioſissimum Adamum in rem, adeo in oculos incurrentem, tam anxiè inquisiviſse, ut demum inductione & sæpius repetita perlustratione

(g) Ibid. p. 27. (h) Genes. I. 21.

omnium fere inter bestias individuorum, sibi occurrentium, necessum habuerit conclusionem hanc sibi formare: nullum ex iis aptum esse ad familiarem vitæ societatem? Sed nonnisi Simplicio tanta Adami simplicitas forte persvadetur.

§ XII. Dubito denique non immerito, an Historiographus divinus, dum memorabile hoc Adami facinus descripsit, vel minimam habuerit cogitationem, morale aliquod sub involucro ejusmodi occultandi, & exemplar Israëlitico populo sistendi, quo incitati discerent à fœdo brutorum abusu cum horrore abstinere, nec ex defunctorum aut dæmonum consortio sociam sibi adscifcere, uti quidem Mosis intentionem hoc loco sibi imaginatur Dn. von der Hardt? Non equidem negaverim, Mosen historiam suam in gratiam populi Israëlitici maximam partem conscripsisse, atque proinde eandem, data occasione, ejusmodi temperasse relationibus, quibus Israëlitæ non solum ad observationem legis facilius adduci, sed & animus illorum à vicinarum gentium fabulis & religionibus abstrahi, mores etiam eo melius formari & emendari poterant. (*i*) Interim

(*i*) Legatur circa hoc argumentum *Jo. Clericus*, Dissert. de Scriptore Pentateuchi Mose, ejusque scribendi consilio; quæ est tertia in Prolegomenis, Commentario ejus in Pentateuch. præmissis. §. VII. ubi exemplis quibusdam hoc eruditè ostendit.

terim tamen, num hoc noſtro præcisè loco tale quid Moſes intenderit, nondum ſatis evictum eſt. Siquidem non adeo frequentatum hoc Sodomiæ vitium in gente Iſraëlitica fuiſſe legitur, ut, & directè & obliquè, Moſes illud tanta cura notare neceſſum habuerit. Nullum criminis hujus commiſſi exemplum Scriptura refert, quæ leviora alias delicta Iſraëlitarum minimè reticet; nec ex rerum Judaicarum ſcriptoribus, tam commune hoc fuiſſe vitium, probari poterit. Locus Levit. XX. 15. 16. (k) ſententiæ Clar. Viri non patrocinatur, utpote in quo illi tantum prohibentur ſordes, quibus Cananæi aliive populi vicini ſeſe fœdiſſimè commaculare ſolebant: horum enim ſedes cum aliquando occupare deberent Iſraëlitæ, rectè ſeveriſſima interdictione ab ejusmodi præcaventur vitiis, quæ Gentilium è terris ſuis ejectionem & extirpationem promeruerunt, id quod ex collatione loci hujus cum ſeqq. v. 22. 23. 24. ad oculum patet. Quare ab interdictione vitii cujusdam poſſibiliter committendi, ad frequens ejus actu ipſo perpetratum exercitium N. V. C. Longè communiora in populo hebræo regnabant peccata, v. gr. idololatriæ, inobedientiæ &c. à quibus opportunius & majori forte fructu Moſes Iſraëlitas ſollicitè abſtrahere & abſterrere potuiſſet, quam ab ejusmodi, multis planè ignorato cri-

(k) Adducit eum Dn. von der Hardt/ Epiſt. p. 15. 16.

crimine, quod vel ipsa natura humana rectè se habens detestatur. (*l*) Unde etiam factum esse puto, quod Scriptura nuspiam, etiam iis in locis, ubi de vitiis his enormibus agitur, ad prætextum illud Adami judicium, de non adsciscendis sibi in consortium brutis vel spiritibus, provocet; quod minimè prætermisisset, si ex intentione Mosis historica hæc relatio ad eum finem ullo modo collimaret.

§. XIII. Et hæc paucis illa sunt, quæ remoram injicere videntur, quo minus speciosa alias Dni. von der Hardt de nostro loco sententia assumi queat. Adducenda verò jam sunt dubia gravissima, quibus Cel. Vir receptam, de impositis ab Adamo nominibus animantium, sententiam deserendam esse comprobat; his enim enervatis, pristino robori illa sine dubio restituetur. Scilicet ante omnia I. urget: locutionem Mosis generalem pro scopo & contextu esse explicandam. (*m*) *Scopum* verò *historiæ vulgarem illam sententiam nullo modo ferre; cum de blandissima Adami socia quærenda sermo sit, non de brutis adpellandis & nominibus quibusdam insigniendis*

(*l*) Egregiè *Mr. Bernard.*, loc. cit. p. 17. *Il y avoit bien d autres vices plus communs, & ausquels les Juifs étoient infiniment plus adonnez, dont il auroit été plus à propos de les detourner que de ceux là, que la simple nature abborre.* (*m*) Vide Epistolam p. 23.

signiendis. (*n*) *Mosen* siquidem, *memorabilem conjugii Adami historiam concisè consignaturum, divinam totius hujus rei gestæ originem, & conjugis ab Adamo quærendæ fundamentum, irrefragabile divinum oracululum, de necessitate sodalis, propositionis instar v. 18. præmittere,* (*o*) *eidemq; decretum divinum de auxilio parando statim addere.* (*p*) *Hinc ab oraculo isthos & decreto divino, de necessaria jugali paranda, v. 19. ad describendum modum Mosen pergere, quo Adam illam quidem inter bruta sollicitè quæsiverit, sed neutiquam tali via obtineri posse, prudentissimè judicaverit.* (*q*) Atque *hoc Adami judicium Mosen v. 20. his clarissimis efferre verbis:* pro Adamo non invenit auxilium, quod præsto illi semper esset. *Quæ diserta conclusio, de non inventa ab Adamo ex brutis jugali, exactè respondeat superiori Mosis propositioni, & divino oraculo, de necessaria Adamo eaquepropter comparanda aliqua conjugali. His omnibus tandem Mosen v. 21. subjungere conjugis & sodalis veræ & naturæ humanæ debitæ atque congruæ originem, initamque cum ea homine dignam benignissimamque ac benevolentissimam societatem; qua conjuge reperta, Adam summo gaudio in hæc eruperit verba:* nunc tandem in hac Eva deprehendo os ex ossibus meis &c. (*r*) Hunc ergo unicè scopum Mosis, quem in

(*n*) Ibid. pag. 19. (*o*) pag. 9. sq. (*p*) pag. 12. (*q*) pag. 13. (*r*) pag. 27. 28.

in scribendo præfixum sibi habuerit, & orationis filum esse, contendit Clar. Auctor, absque quo nihil in fontibus pervideatur.

§. XIV. Verum enim vero, utut negari nequeat, historiam hanc, de nominatis ab Adamo animalibus, non absque causa esse inclusam decreto divino de comparanda ei vita socia; posito etiam, scopum historiæ, generatim consideratum, de quærenda primo homini conjuge loqui, nihil tamen exinde nova Domini von der Hardt expositio lucratur, nec quidquam receptæ interpretationi decedit. Erudita enim est observatio *Seb. Schmidii*, (*s*) qua ostendit: verbis v. 19. & 20. occurrentibus à Mose *occasionem indicari, qua DEUS ad creandam mulierem sese excitaverit; quæ hæc sit, quod postquam DEUS bestiarum aviumque naturam & propagationem per mares & fœmellas instituerat, & hominis subjecerat dominio*, cujus signum erat nominum impositio, *nihil amplius superfuerit, quàm ut hominum quoque propagatio, ad quam mulier deerat, institueretur.* Simili prorsus modo de contextu judicat *Mr. Bernard*, (*t*) scribens: *Il veut faire voir par là, que comme tous les animaux étoient mâles & femelles, chacun dans leur espêce, & devoient travailler à produire leurs semblables, ce dont Adam, sans doute, s'apercut, Dieu avoit aussi*

(*s*) In Annotat. super Genes. p. 33. (*t*) Novell. loc. cit. p. 418.

auſſi réſolu de donner une Compagne à Adam. Confer etiam *Andr. Rivetum*, (*u*) *A. Varenium*, (*x*) & *Jo. Lightfootum.* (*y*) His prænotatis, quàm amiciſſimè ad unum ſcopum invicem conſpirabunt & decretum divinum de auxilio Adamo parando, & impoſitio nominum ab Adamo facta, dummodo verſum 18. cum 21. uno orationis filo fluere nobis concipiamus; intermedios verò 19. & 20. tanquam occaſionem creatæ à DEO mulieris dicentes, in parentheſin collocemus, (*z*) atque in plusquamperfecto efferamus, (*a*) ad eum modum, quem in verſione ſua expreſſit *Seb. Schmidius.* Sic enim ſcopus textus de quærenda Ada-

(*u*) Exercit. XXII. in Geneſ. p. 117. (*x*) Dec. Moſ. ad h. l. p. 267. 274. ſqq. (*y*) In Chronic. Tempor. V. T. Vol. I. Opp. p. 2. (*z*) Parentheſeos exempla alibi etiam in Geneſi occurrunt, utpote Gen. II. 5. 6. XV. 3. (*a*) Notum enim eſt, præteritum apud ebræos omnes præteritorum ſpecies exprimere; quæ phraſeologia in capite hoc II. Geneſ. perquam familiaris eſt, utpore quod capitis primi dilucidior tantum explicatio exiſtit. Atque ſic locus noſter ita foret transferendus: Es hatte der HErr aus der Erden gemacht ꝛc. Er hatte alle Thiere zu Adam gebracht ꝛc. es hatte auch Adam ihnen allen Nahmen gegeben; was ſeine Perſohn aber anlanget / ſo hat er ſich bißher ohne Gehülffin befunden. Conf. *Varenius* ll. cc.

Adamo socia nihilominus adhuc salvus manebit, etiamsi brutorum animantium appellatio statuatur, juxta vulgare illud: unius rei plures possunt esse fines. Quod verò conclusionem illam, in fine versus 20. additam: *Adamo non inventum est adjutorium*, concernit, ea minimè ita est accipienda, quasi Adam inter bruta animantia sociam sibi quæsiverit, prout Cl. Vir autumat; (non enim dicitur in textu: *quæsitum esse adjutorium* homini, sed: *non inventum esse in bestiis*; multa verò dicuntur inveniri, quæ non fuerunt quæsita) (*b*) quin potius simplex verborum sensus hic est: cum animantia, cujuscunque fuerint speciei, compari haud caruerint, Adamum unicè hactenus solitarium in sua specie vixisse, & sibi עזר כנגדו *adjutorium correspondens sibi*, sive, *juxta eminentiam suam*, (*c*) ad plenam perfectamque felicitatem deesse, intellexisse. Immo palam potius ex his verbis est, DEUM per adductionem illam bestiarum ad Adamum, præter nominum impositionem & hoc

(*b*) Conf. Genes. XVI. 7. Es. LXV. 1. (*c*) Sic ex usu Arabico vertit *Danzius*, Interp. p. 248. in notis. Sed *Alb Schultens*, Animadv. Philolog. & Critic. ad varia loca V. T. Amstel. 1709. 8. editis, p. 1. sqq. ex Arabismo vertit: *secundum anteriora ejus*, i. e. tale auxilium, quod ad matrimonii usum justam cum Viro habeat proportionem.

hoc intendisse, ut homo, conspiciendo inter bestias par in unoquoque genere ad se multiplicandum esse conditum, defectum creaturæ sibi similis adverteret, & aliquo suæ solitudinis sensu afficeretur, atque ita, typo hoc inflammatus, adjutorium sui generis desideraret, DEUM precibus fatigaret, ut sibi fœminam crearet, & deniq; majorem postea celebrandi Creatoris materiam haberet, cum vitæ sociam acciperet. Quæ omnia ad scopum textus quàm optimè quadrant.

§. XV. Obvertitur hinc II. communiori de brutis ab Adamo adpellatis, sententiæ: negotium illud inutile prorsus ac vagum extitisse. *Cui enim fini*, scribit Dn. von der Hardt / (*d*) *aut usui nomina daret brutis & volucribus, cum nullus tunc hominum existeret, præter unum Adamum, qui audiret. - - Nec sane brutis aut volucribus hic Adami labor commodo cessit, nec Adamo honori. Bruta, ut obviam facta, abiere; aves prætervolarunt, ut vel per totam vitam amplius nullas illarum conspiceret. Quid igitur inanis illa & horaria denominatio? In ventum & aërem? Ergone alia in creaturis DEI non erant observanda, quàm quibus titulis ornaret bruta? Hæccine verò digna, quæ Moses inter omnes Adami actiones unicè commendaret? - - Sanè uti brutorum cognominatio nec dignitatem Adamo, nec venerationem parere potuit, ita prudentior*

(*d*) Vid. Epist. p. 19. sqq.

Moſes, quàm ut unum hoc tenue ex omnibus negotium Adami recenſeret, &c. Quaſi verò illa animalium exploratio ex ſententia Clar. Auctoris facta tanti fuiſſet, ut inter omnes Adami actiones unicè commemoraretur à Moſe? Hæc tamen & ſimilia Cel. Vir adducit, ut evincat impoſitionis illius nominum ne minimum quidem datum fuiſſe uſum, nec adeò eandem revera factam eſſe.

§. XVI. Idem dubium ſibimetipſi format *Joh Clericus*, (*e*) ſcribens: *DEUM Adami nomenclatione non indiguiſſe, nec ſermone & rerum nominibus Adamum ſolum eguiſſe*; quod tamen ſolvi poſſe autumat, ſi dicatur: ordinem rerum geſtarum hic eſſe neglectum, & nomenclationem illam præſente & conſentiente Eva demum factam. Sed cum Moſes v. 20. doceat, adducta eſſe ad Adamum animalia tunc, cum ipſe adjutorium ſibi ſimile nondum habuerit, certum eſt, Evam eo tempore nondum extitiſſe, cum Adam brutis animantibus nomina impertiretur, neque adeò reſpectu ejus ſermone & rerum nominibus opus fuiſſe. Quamvis ceteroqui valde verosimilis ſit conjectura *Sam. Bocharti*, (*f*) exiſtimantis, animalia hæc ante creationem Evæ convocata & adpellata, nonniſi poſt eandem conditam diſceſſiſſe, ut illa hoc eodem ſpectaculo cum viro

(*e*) Comment. ad h. l. p. 22. Conf. *Gundling*, in Hiſtor. Philoſ Moral. Part. I. p. 61. (*f*) in Hierozoic. Part. I. Libr. I. cap. IX. col. 57.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0302
DFG

viro frueretur, & conjugium inter illos ſtatim initum, tam extraordinario conventu, ſolemnius fieret; unde etiam utrisque ſimul dominium in animantia conceſſum videatur. Sic enim labitur quoque dubium, quod Dn. von der Hardt de abſentia Evæ in tam ſplendido actu movet. (g)

§. XVII. Aliter ergo res erit expedienda, dicendo: nomenclationem illam animalium inſigni gaviſam fuiſſe uſu, etiamſi nullus tunc hominum actu extiterit; neque adeo eandem pro tam tenui negotio venditandam eſſe. Utilis nimirum illa erat 1) *ad excolendam linguam, quâ uteretur primus homo & inveniendа vocabula rebus exprimendis apta.* Dicis: cui bono hæc omnia, cum nemo in rerum natura fuerit, quocum animi cogitata ſermone Adam communicaret?

(g) Epiſtol. p. 22. ubi ita: *Hæccine ſpectacula digniora Evæ fuiſſent præſentia? Quæ elegantiſſimarum avicularum myriades non ſine voluptate ſimul fuiſſet contemplata, vel & indolem obſervaſſet, nomenq; aliquibus decens & elegans dediſſet. Et tanta illa abſente? Par ratio pecudum, jumentorum ferarum ſine numero.* Sed verò ſatis erat illi animantia adducere, qui eorum Dominus eſſe debebat; in cujus dominii communionem Eva ſuo quidem modo graduque deveniebat, ſed nonniſi per maritum, à quo etiam & per quem imagine divina eſt ornata. Conf. 1. Cor. XI. 7. 8. 9.

caret? Respondeo, per se illa erant necessaria & ad perfectum hominis, in imagine divina conditi, statum requirebantur. Absurdi enim mihi videntur, qui primum hominem vel plane mutum fingunt, vel cum magna difficultate loquentem. Utut enim plurima rerum vocabula, quarum nullus tunc erat usus, successivè sint inventa, in summè necessariis tamen non videtur DEUS lingvam homini cum molestia inveniendam reliquisse, sed cum adultus esset conditus, loquendi habitum simul eidem, saltem in præcipuis, concreavit, sine quo etiam DEUM loquentem intelligere vix potuisset. (*h*) Sed posito, habitum loquendi expeditum Adamo connatum non fuisse, obligatus tamen nihilominus ad lingvæ culturam fuisset, partim ne illam, quam DEUS in se reposuerat perfectionem, qualis est potentia loquendi proxima, negligeret, quin potius eadem, ad Dei laudes sonora voce efferendas, commodè uti disceret; partim propter futurum usum, ut, si quando occasio sese obtulisset, sine difficultate animi sensa manifestare potis esset; partim etiam propter posteritatem, quæ in loquela instruenda erat. Absonum etiam non est dicere, usum lingvæ Adamo necessarium fuisse in respectu ad Angelos: cum probabile quàm maximè videatur, homines cum

(*h*) Conf. *Clericum*, Comm. ad Genes. ll. 23. p. 23.

cum Angelis in ſtatu integritatis ſæpiuſculè ſermones miſcuiſſe, nec prima vice id factum fuiſſe, cum Eva memorabile colloquium, Gen. III. deſcriptum, cum Satana inſtitueret; quandoquidem illa Diabolum in ſerpente loquentem audiens, bonum quendam Angelum ſubeſſe putabat, quocum pro more conſveto confabulare volebat. (*i*) Poſito ergo, neceſſariam Adamo, quacunque demum de cauſa, fuiſſe lingvæ culturam, inſignis ſimul nomenclationis illius brutorum animantium utilitas ponitur, utpote, quæ quolibet fere momento Adamo in oculos incurrebant, adeoque nominibus invicem diſcernenda erant, nec minus laudis divinæ, externè proferendæ, argumentum uberrimum ſuppeditabant.

§. XVIII. Inprimis verò (2) uſus nomenclationis hujus ſeſe in eo exerebat, *quod demonſtratio & ſignum veluti eſſet dominii, in bruta animantia Adamo divinitus conceſſi.* Videlicet poteſtas nomina imponendi ex principiis juris naturæ & gentium ad eum pertinet, qui imperium & ſuperioritatem in objectum illud, cui nomen imponitur, penes ſe habet. (*k*) Sic DEUS, dominium diei & noctis ſibi vendicans, introducitur

(*i*) Ita *Lightfootus*, in Obſervat. in Geneſ. Vol. I. Oper. pag. 154. (*k*) Eleganter hac de materia diſſerit *Chryſoſtomus*, Homil. de ferenda reprehenſ. Tom. III. Oper. col. 1102. edit. Baſil. Frob. de Anno 1558.

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1759317160/phys_0305 DFG

citur nomina his lucis viciſſitudinibus impoſuiſſe, Geneſ. l. 5. conf. Pſal. CXLVII. 4. Adam poſt lapſum dominus uxoris conſtitutus, confeſtim ſpecimen dominii exhibet, nomen Evæ uxori imponendo, Gen. III. 20. Ita & apud gentes orientales, qui novos dominos nanciſcebantur ſervi vel inferiores, ab iisdem nova inſimul nomina accipiebant, cujus conſvetudinis rudera vide Dan. I. 7. 2. Reg. XXIII. 34. Geneſ. XLI 45. Num. XIII. 17. adde Eſ. LXV. 15. Eodem ergo modo in ſervitutis notam Adam concipiendus eſt animantibus nomina indidiſſe; (*l*) quæ etiam præcipuè de cauſa adducta ad ipſum erant, ut nempe ſe domino ſuo ſiſterent, in ejus clientelam ſe reciperent, ac velut obſequium & ſervitutem ei ſponderent, ipſe verò Adam diſtinctis nominibus ſervos ſuos cognoſceret. Qui labor non poterat non honori quàm maximè homini cedere, cum de dignitate & ſupereminentia ejus teſtaretur. Diffiteri tamen non poſſumus, quosdam Interpretum hic pro more ineptiviſſe, ex quibus *Moſes Bar Cepha*, *Syrus*, (*m*) comminiſcitur: *Adamum editiore paradiſi loco inſidentem, auguſtaque auctoritate & majeſtate ac tali vultus ſplendore, qualem emicuiſſe ex facie Moſis Scriptura teſtatur, voce, quæ ſenſu percipi audiriq; poſ-*

(*l*) Conf. *Bochartus*, Hieroz. loc. cit. col. 57.
(*m*) Comment. de Paradiſo, Part. I. in Biblioth. Max. Patr. Tom. XVII. p. 477.

posset, pronunciata, singulis speciebus animalium nomina indidisse. Illa verò summissis capitibus prona, neque Adamum præ nimio splendore intueri audentia, singulatim præteriisse, v. gr. cum Tauri civerit nomen, illum, audito suo nomine, transivisse coram illo, capite demisso; idemque cæteris contigisse. Utut inquam hæc pro nugis anilibus merito habeamus; interim tamen rem ipsam ista non tollunt.

§. XIX. Denique (3) illa animantium nomenclatura ad eum quoque conducebat finem, *ut Adam insigne aliquod specimen edecumatæ rerum naturalium cognitionis, & vi imaginis divinæ partæ sapientiæ in conspectu DEI exhiberet*, talia nomina animantibus promptè & extemplo imponendo, quæ significantia maximè & unicuique apprimè convenientia esse intelligebat; cujusmodi *sapientiam* ipse homo gentilis (*n*) non veritus est dicere μείζω ἢ ἀνθρωπίνην *humana majorem.* Nulla siquidem probabilitate gaudet, quod *Thom. Hobbes* (*o*) asserit: Adamum instinctu divino nomina quidem creaturis dedisse, at modorum expressiones & significationes non tunc statim sciviſse, sed cum progressu temporis demum addidicisse. Ita enim nomina

(*n*) *Plato*, in Cratylo, & *Cicero* 1. Tuscul. (*o*) Leviath. c. 4. conf. Elementa Philos. Sect. II cap. 10. Notavit eundem *J. C. Becmannus*, in Hist. Orb. Terr. Part. I. c. IX. Sect. III. §. 11. p. 383.

ista DEI unicè fuissent, immediatè illa inspirantis, nec Adamo tribui possent, nisi tanquam instrumento, quo DEUS cognomina efferre voluerit; exile quoque sapientiæ ejus specimen constituissent. Aliud docet Mosis relatio, qua scribit: DEUM Adamo animantia adduxisse לראות, *ut videret*, i. e. (metaphora ab artificibus desumta, inventa & opera sua prima vice explorantibus & probantibus) ut experimento quasi & ab effectu sapientiam, & rerum naturalium in Adamo cognitionem, redderet perspectam. Hujus singulare aliquod testimonium DEUS extare voluit, non quidem propter se ipsum, cui certè, quid homo valeret, non erat incognitum; sed ob posteritatem, ut illa partim ex hac Adami actione de concredito ei talento judicaret, partim labore illo, nomina animalibus apta magna posthac molestia inveniendi, supersedere posset, certasque & proprias animalium appellationes haberet, quibus naturas eorum quodammodo intelligere, aliaque ab aliis certis notis discernere, usus sui causa, posset. Optimè hac de re judicat *Jo. Henr. Majus*; (p) *magno*, inquit, *generis humani bono factum esse censeri debet, quod DEUS ab Adamo, rerum cœlestium & naturalium scientia omnimoda adhuc pollente, nomina animalibus indi voluerit, singulis congrua.* Sic

(p) In Oeconomia Temporum Vet. Test. Cap. II. p. 166.

Sic enim semina naturalis scientiæ sapienter sparsit & conservavit post lapsum, confusionemque naturarum distincta nomenclatione providè cavit, ac denique primam quasi lingvam formavit, qua homines in mundo communiter uterentur, atque usi perpetuo fuissent, nisi ipsi intolerabili superbia confusionem lingvarum divinitus adtraxissent. Nec est, ut cum *Lucretio* Poëta (*q*) excipias: posteros ab Adamo nullo jure cogi potuisse, ut assensum darent, & nominibus his, animantibus ab illo impertitis, uterentur, qui eandem sibi sapientiam arrogare, & nova pro re nata nomina fingere valuerint, neque adeo hocce specimine sapientiæ Adami, in respectu ad posteros ejus, opus fuisse. Quasi verò difficile sit Parenti vocabula, quæ excogitaverat, per liberos propagare; cum hodie nemo sit, qui non loquatur, quomodo infans à parentibus edoctus est. Et cur non Adam posteritatem ad assensum traxisset, qui animalibus tam congrua imposuit nomina, ut nemo forte aptiora excogitare queat? Sed de eo mox pluribus dicetur. Instas: Adamum longè nobiliora habuisse objecta, circa quæ specimen sapientiæ suæ ederet. *Si nomina danda* fuissent, *verosimile utique, Adamum pro connata sapientia, divina & cœlestia celsiora opera, vel in terris millena elegantissimarum plantarum & nobilissimarum arborum genera, singulis momentis oculis*

(*q*) Carminum Libr. V.

manibusq; obvia, contemplatum nominasse. Mosenque absque dubio & hunc Adami multo præclariorem laborem commemorasse. (r) Respondeo, dispiciendum hic non esse, quid fieri potuerit, sed quid re ipsa factum fuerit. Unius positio, non est alterius exclusio. Longè utique plures, sine dubio, res ab Adamo, in statu integritatis solitariè vivente, sapientissimè perpetratæ fuerunt, quales utique Moses describere potuisset; sed eum talia referre noluisse inde constat, quod actu ipso nil amplius annotaverit. Rationem si quæsiveris, vel limites te oportet DEO ponere, quid quantumque de fidei heroibus commemorari voluerit, vel cum ipso tibi litigandum erit Mose, *quare non hæc, illa, ista, hoc illo, isto modo expressserit.* (s) Brevis & concisa ejus est primorum temporum historia, quæ non patiebatur prolixos rerum, ab Adamo de die in diem gestarum, Commentarios, quos Galli *Memoires* dicunt, scribere, sed, commoda sese offerente occasione, nonnulla tantum velut in transcursu attingere, quæ aut sequentium rerum ordini erant necessaria, aut digna sibi videbantur, quæ commemorarentur.

§. XX. Pergit Dn. von der Hardt / & amplius III. objicit: absonum ita & quàm incongruum

(r) Argumentum hoc est Dni. von der Hardt / Epistol. ad Nolt. p. 20. 21. (s) Propria Clar. Viri sunt verba Epist. p. 29.

gruum Adamo institutum tribui, omnibus orbis animalibus nomina imponendi, quod exequi planè impossibile fuerit. *Ergone*, inquit, (*t*) *ad Adamum omnia volatilia, maxima, minima, innumera, quibus aër per totum orbem repletus, advolarunt? Quæ in sylvis degant densis & conspectum fugiant? Ex angulis Europæ, ex insulis & montibus Asiæ, ex sylvis Africæ & Americæ? Quanta hic avium & volucrium nubes? An omnes simul ex tam remotis orbibus ad Adamum festinarunt? An ordine aliquo? Et quo? Et unde illis constitit ordo? Quamdiu hæc volucria coram Adamo subsliterunt, ut naturam cujuslibet examinaret & apto exprimeret nomine? Unde illis innotuit volucribus, quando iterum esset avolandum, nomine impetrato? Abegit illa vel avolare jussit Adam? Quot anni insumti vel volatilibus omnibus totius orbis spectandis, quorum aliqua tam exilia, ut visum penè fugiant, nec obiter, sed ita ut naturam penetraret.* (NB. Quæ hic ingeniosissimus Vir cuidam reponeret, talia iisdem planè verbis suæ sententiæ objicienti, eadem sibi ad quæstiunculas hasce responsa esse putet.) — — *Par ratio pecudum jumentorum, sine numero. Illane ex abstrusis orbium remotissimarum antris, ex tenebricosis lustris, ex invisis & impenetrabilibus Asiæ, Africæ & Americæ sylvis, ex montium jugis & cavernis, ex profundissimis terræ latibulis ad*

(*t*) Vid. Epistol. p. 21. seq.

ad Adamum uno in loco in hortum accurrerunt? Quot & quanti hi exercitus? Et pro solo nomine indipiscendo? Quantus labor & quot temporis intervallum? -- Nihil horum, concludit, *apud Mosen, ad quæ nec mens, nec sententia collimaret.* Videtur hic Clar. Vir tibias *Isaac. Peyrerii*, inflare, qui eodem fere modo hanc Adami actionem subsannat, scribendo: *Eo venturi erant Elephanti ex remotis Indiæ & Africæ regionibus, quibus lentus & gravis incessus est. Quid porro dicam de innumeris ferè animalium & volatilium speciebus, hæmisphærio huic nostro incognitis? quibus tantum maris tranandum & terræ metiendum erat, ut ex America in Mesopotamiam venirent, & suum ibi nomen sortirentur.* (u)

§. XXI. Huic verò dubio ut satisfiat, non opus est eo cum *Thom. Cajetano* (x) confugere, ut dicamus, animantium imagines tantum menti primi hominis objectas, non verò ipsa adducta fuisse; quandoquidem Moses v. 19. disertè tradat, ea animalia Adamo DEUM adduxisse, quæ paulo ante è terra formaverat, id est vera animantia, non umbras illorum. Neque etiam Pictorum persvasio ullo modo adprobanda, qui Paradisum adumbrantes, omnis generis animantia in eundem collocant, sententia nonnullorum, etiam

(u) In Systemat. Theol. ex Præ-Adamit. hypothes. Part. I. Libr. 3. cap. 2. p. 154. sq. (x) Comment. in Penat. ad h. l.

etiam magni nominis Virorum, inducti, acsi in creatione hortus Eden tantum animalibus incolis fuerit repletus, ex quo illa postmodum in diversas terræ partes migraverint, & cum Paradisus ea capere amplius propter multitudinem non posset, colonias quasi emiserint. (*y*) Taceo quoque ridiculam *Jo. Petri Erici* (*z*) opinionem, statuentis: Adamum more venatorum omnium animantium sonos arte quadam imitasse, & hoc stratagemate illa ut appropinquarint allexisse. Neque denique rem forte conficiet *Clerici* (*a*) conjectura docentis: hanc brutorum adpel-

(*y*) Ita nodum hunc solvi posse putat *D. Fechtius*, loco §. 5. adducto, ut nimirum dicatur: animalia nullibi primitus fuisse, nisi eo loco, ubi & homines fuerant; illaque una cum homine simul in Paradisum esse immissa, eaque occasione coram Adamo, ut easdem omnes conspicere, & nomina iisdem imponere posset, sistere sese debuisse. Quam sententiam equidem Theologo huic acutissimo non invidemus, alteram tamen, quæ totam terram animantibus per creationem fuisse repletam dicit, ob rationes prægnantiores, præferimus (*z*) in Renato è mysterio principio philologico, p. 12. (*a*) Comment. ad h. l p. 22. b. Confer vestigia Clerici hic legentem *Dn. N. H. Gundling*, in Hist. Philos. Moral. p. 61. 62. notatum ab Auctore der erbaulichen Gedancken über D. Gundlings Otia, p. 40. 41.

adpellationem *absolutam uno die non esse, nec censeri debere, quæ paucis verbis narrantur ideo intra tam paucas horas facta fuisse. Paulatim forte vocabula inventa, & prout primis Parentibus obversabantur animalia, aut de iis colloquebantur, imposita esse.* Siquidem nullum hujus conjecturæ in S. Literis vestigium aut probabilis rario adparet, ut potius inde evidens sit, Adamum non solum ante conditam Evam (quæ tamen eadem statim die ei associata) nomina animalibus dedisse, sed absque mora, sine multis experimentis & sollicita ratiocinatione negotium hoc intra breve tempus confeciisse. Hinc ex alio potius fonte resolutio depromenda.

§. XXII. Nimirum initio nihil officit, quo minus ad absolutam DEI potentiam, extra ordinem naturæ hic operantem, provocemus, qua mediante ei difficile factu non fuit solo nutu efficere, ut animantia in certum locum confluerent & sese homini sisterent. Si ergo vel omnia singulaque animalia comparere coram Adamo debuissent, sufficit nobis contra hos scrupulos infallibilis Mosis relatio: *DEUS adduxit omnia animantia.* Liceat hanc liberrimam & omnipotentem DEI voluntatem urgere verbis *Sam. Bocharti*, (*b*) qui, *non opus est*, scribit, *quærere, quomodo animalium tam multæ species in unum locum deductæ sint. An ventis impellentibus, ut in*

(*b*) In Hierozoic. l. c. col. 56.

in deserto coturnices? An per Angelos, ut cum Philippus Azotum & Habacuc Babylonem transvectus fuisse legitur? Aut arcano DEI impulsu, ut in Ægyptum ranæ, & cynomysa, & ursi duo, qui ad Elisæi verbum è sylva prodeuntes in Bethelitarum pueros irruerunt: & leones in Samaritanos DEI nominis contemtores immissi; & animalia, quæ bina ex omni carne ad Noam convenerunt. Sufficit enim, ut sciamus DEO qui absolutum habet in creaturas dominium, non deesse rationes, quibus eas pro arbitrio suo impellat, quocunq; decrevit & destinavit. Illos igitur, qui movent quæstiones tam superfluas, libens interrogaverim, quo impulsore ciconiæ & grues ex boreali plaga in Ægyptum & Æthiopiam certa anni tempestate volent, & post aliquot menses eo revolent, unde discesserant. Item, cur haleces & thunni quotannis ingenti turba sedes mutent, & in aliud mare transeant. Si dicant, has migrationes illis esse naturales: rogabo rursus, annon idem DEUS, qui hanc iis naturam indidit, reliquis quoq; animalibus possit id inspirare, ut, cum res ita postulat, in certum locum confluant, tanquam si voce præconis citata essent & convocata. Hæc Bochartus, cui, quod mirum certè, nihil reposuit Dn von der Hardt/ cum tamen ei Epistolam suam, uti rubrum testatur, opposuerit.

§. XXIII. Quodsi tamen nodi hujus hoc modo facta solutio illis, quibus omne miraculosum est suspectum, non arriserit, eo quod ad extra-

extraordinariam DEI potentiam recurrat, alia adhuc in promptu est responsio. Scilicet opus præcisè non est, ut statuamus omnia prorsus animantia Adamo, adpellandi ergo, fuisse adducta; sed dici potest, ad eum finem, quem DEUS intendebat, sufficisse aliquas duntaxat animantium præstantissimorum species, in illo terræ tractu, quem Adam eo tempore inhabitabat, viventes adduci & titulis insigniri. Constat verò ex supra dictis, bruta sese homini in eum præcipuè finem sistere debuisse, ut ei, tanquam domino suo obsequium sponderent, & in signum servitutis nomina ab illo acciperent. Quemadmodum itaque in solenni Regis inauguratione rectè dici potest, omnes subditos fidem & obsequium Principi promisisse, dummodo principales Imperii ordines & status pro superiore eum agnoverint, & homagio sese obligaverint: ita & hic necessum non erat, omnia & singula animantia in solenne concilium cogere; satis erat præcipua comparuisse, à quibus ad minus excellentia facilis erat collectio. Quare particula כל, *omnis*, hoc loco universalitatem moralem tantum innuere videtur, nec præcisè omnia genera, sed certas tantum species significare, quo sensu haud raro occurrere deprehenditur. (c) Placet judicium *Dni. Bernardi* (d) hac de

(c) Vide inter alia Ps IX. 2. Ezech. XXXI. 6. 13. Hos. IV. 3. conf. Mtth. II. 3. III. 5. IV. 8. Luc. II. 1. &c. (d) Nouvelles p. 417. sq.

de re audire: *Il paroit*, inquit, *que Dieu vouloit marquer par là l'autorité qu'il donnoit à l'homme sur toutes les créatures terrestres. Pour cèt effet il n'étoit pas nécessaire, qu'Adam imposât le nom à toutes. Il suffisoit qu'il nommât celles, qui paroissoient les plus excellentes, & les plus aprochantes de la nature de l'homme, telles que sont les bêtes des champs & les oiseaux; il étoit facile de tirer de là sa consequence à toutes les autres créatures terrestres moins excellentes que celles-là. Je ne sai pas même s'il étoit nécessaire pour cela, que toutes les espèces d'animaux terrestres & tous les oiseaux parussent devant Adam. Il ne s'agit, peut-être, ici que d'une universalitè morale. Quand un Souverain entre en possession d'un Etat, il se contente de faire comparoitre devant lui quelques uns des principaux de tous les Ordres, & de les obliger à le reconnoitre pour leur Souverain.*

§. XXIV. Ea, quæ modo diximus, & sequentia quoque juvare videntur. Initio, quod planè impossibile fuerit Adamo, una die omnibus & singulis animantium generibus nomina impertire, nisi miraculum hic fingere velimus præter necessitatem. (*e*) Deinde quod Moses non omnia in universum animalia Adamo addu-

(*e*) Conf. *Observ. Halenses*, Tom. VI. Obs. XXIV. §. 17.

cta, esse dicat, sed tantum animantia terræ & volucres. Neque etiam volatilia omnia comparuisse exinde constat, quod in horum classe Moses universalitatis signum כל omittat, cujus omissi nulla dari potest ratio sufficiens. Unde dubitat *Varenius*, (*f*) an ad Adamum sese contulerint aves in aquis unicè viventes, & planè non volantes, v. gr. apodes in mari Chinensi, anseres non volantes in mari Sur &c. item num insecta volatilia denominata fuerint; quia: *universa volatilia cœli*, uti hic reddidit Vulgatus, non sit expressè in fontibus. Piscium præterea omnis generis mentionem ne minimam quidem scriptor divinus injicit, quos adeo eximit Bochartus; (*g*) quia, cum in diverso elemento degunt, difficulter Adamum convenire potuerint. Quo statuto, novum insimul Dni. von der Hardt dubium labitur, objicientis: *si bruta & aves nominibus suis ornanda fuerunt, cur non & pisces? Cur non & innumera & prægrandia corpora marina, terrestribus ampliora atque spectabiliora suis condecoraret nominibus? Aut hæc illis infeliciora? Et si illorum nomina ab Adamo, unde piscium & monstrorum marinorum, quæ apud Hebræos supersunt? Ab aliis? Cur non æquè ab Adamo, cur non horum etiam meminit Moses? Infelicior Adamus his, quàm istis denominandis.* (*h*) Si

(*f*) Dec. Mos. ad h. l. p. 271. (*g*) loc. cit. col. 56. (*h*) Epistol. p. 20.

Si enim opus non fuit, ut omnia & singula animalium genera Adamo se sisterent, pisces etiam comparere necessum adeo non erat, marinos inprimis, qui secus tamdiu fluviis Paradisi sese præter naturam continere debuissent, quoad se Domino suo subjecissent nominaque accepissent, (*i*) hominis ceteroquin imperio omnino subjecti, & successu temporis paulatim una cum variis arborum generibus & innumeris talibus denominati. Potuisset hæc Cl. Vir, ex Abarbanelis adeo à se celebrato in nostrum locum Commentario, (*k*) perspectum habuisse, qui ex libro antiquissimo Ephod (*l*) refert, Adamum non omnibus omnino animalibus nomina indidisse, sed quibusdam tantum generibus; sed facile vidit, hoc concesso, palmarium forte, contra receptam sententiam, dubium vim suam amissurum fore.

§. XXV. Objicitur denique IV. in nominibus illis, quæ hodienum extant, & ab Adamo profecta perhibentur, naturas animantium ne hariolando quidem percipi posse. *Judæorum Doctores*

(*i*) Pisces etiam nominibus ab Adamo esse insignitos ex nostratibus defendunt *Gerhardus*, Comm. ad Gen. II. p. m. 60. *Calovius*, in Genes. ad h. l. *Majus*, in Histor. Animal. Part. I. Libr. I. c. IV. p. 119. res meris conjecturis nititur. (*k*) In Genes. II. 19. 20. fol. 27. col. 4. (*l*) Vide de hoc opere *Buxtorfium*, in Biblioth. Rabb. p. m. 98. 99.

ctores omnia in Moſe obvia in ſuæ gentis trahere laudes. Unde id tanto molimine plerosque agere Rabbinorum, ut memorent, Adamum tam exactè nominibus naturam cujuslibet bruti expreſſiſſe, ut tota animantis, vel maximæ molis, eſſentia puſillo nomine ſit comprehenſa. Ex quo magnifico Adami facinore aſſerere dein conentur lingvæ Judaicæ, cum antiquitatem, dignitatem ac majeſtatem, tum pondus ac vim ſignificandi inexplicabilem. Buxtorfium & Bochartum (at quanti Viri!) *faſcinum hoc Judaicum vix acne vix quidem evitare potuiſſe. Ut commune tantum illud evaſerit: verbis ſignificantiſſimis, propriiſſimis totam omnium animantium naturam, admirabili & inexplicabili brevitate, Adamum expreſſiſſe. Ut quodlibet bruti proprium apud Hebræos nomen grandis ſit inſtar voluminis, quo tota illius natura, affectionesque omnes ſint deſcriptæ.* (*m*) Hæc ſi ita ſe haberent, omnino improbabile videri poſſet, nomina animantium ab Adamo profecta eſſe, & ſpecimen ſapientiæ ejus ſingulare conſtituere.

§. XXVI. Facillima ad hæc eſſet reſponſio, ſi hypotheſin illam, noviter *à Joh. Clerico* (*n*) incruſtatam, aſſumeremus: Adamum non uſum fuiſſe lingva hebræa, ſed longè alia, quæcunque illa demum fuerit. Scilicet poſito, lingvam primævam

(*m*) Epiſtol. p. 5. 6. 7. (*n*) Comment. ad h. l. p. 22. & fuſius in Prolegomenis Commentario præmiſſis, Diſſert. I. de lingva hebraica.

vam planè intercidisse, nec ullam hodie supereſſe lingvam, quæ prima adpellari possit, sed in omnibus lingvis illius tantum dari reliquias, uti quidem volunt *H. Grotius*, (*o*) *Phil. Cluverius*, (*p*) *G. J. Vossius*, (*q*) *Jos. Scaliger*, (*r*) *Henr. Kippingius*, (*s*) *G. Hornius*, (*t*) *P. D. Huetius* (*u*) & alii, tum per se certè argumentum Dni. von der Hardt corrueret. Si enim lingva ebræa hodierna non est primigenia, & tantum dialectus antiquæ illius, tum neque brutorum animantium nomina ebræa, quæ hodie extant, ab Adamo erunt profecta; atque adeo supervacaneum planè est de iis quærere, an naturas animantium exprimant, an minus? quandoquidem genuina brutorum nomina, ab Adamo iis imposita, una cum lingva primigenia, in γλωτ]οσυγχύσει Babelica hoc modo periissent, & Moses aliive Scriptores Ebræorum illa in obsequium suæ lingvæ unicè redegissent. Hoc, inquam, pacto gravissimum Clar. Viri dubium sine omni difficultate posset expediri, nisi hypothesis illa jam dudum à Viris doctissimis (*x*) falsitatis esset convicta, &

(*o*) Comment. ad Genes. XI. 15. & in Notis ad Libr. I. de V. R. C. (*p*) German. Antiq. Libr. I. cap. VIII. p. 71. (*q*) de arte Grammat. cap. X. (*r*) ad *Eusebium* num. 1617. (*s*) de Creatione Exercit. 40. (*t*) Not. ad Libr. I. Sulpit. p. 2. (*u*) in Demonstr. Evang. Prop. IV. cap. 13. num. 8. p. 242. sqq. (*x*) Vide *A. Pfeifferum*, Introd

lingva ebræa Adami temporibus vindicata, quorum rationes prolixius in medium proferre, nil aliud esset, quàm Iliada post Homerum scribere.

§. XXVII. Salva tamen nihilominus adhuc res est. Videlicet, dicitur quidem à Cl. Auctore, non verò probatur, nomina illa animantium ebræa iisdem planè non esse convenientia. Rectè enim ex ὀνομαθεσίας illius, à DEO facta & v. 17. relata, approbatione & confirmatione efficit *Eusebius*, (*y*) nomina ista non falsa aut prorsus inepta & fortuita esse. Id quod etiam exemplorum congerie ad oculum demonstravit *Bochartus*, (*z*) cui in re ipsa nihil solidi reposuit Dn. von der Hardt. Neque ullo modo valet consequentia: naturas animantium, nominibus illorum auditis assequi non possumus, ergo nomina illa brutis nullo modo sunt congrua. Quod enim in nominibus illis naturas animantium non statim advertamus, ejus rei causa non una existit. Nimirum

Introd. in Orient. Quæst. 3. qui nubem Auctorum adducit. Adde his *D. Majum*, Dissert. S. Loc. V. cap. I. §. 11. sqq. *Val. Ern. Loescherum*, de Causis Lingv. Ebrææ, Lib. I. cap. III & *Brandani Henr. Gebhardi* discursus, de primævitate lingvæ ebrææ, qui nova Clerici argumenta examinant. (*y*) Præparat. Evang. Libr. XI. cap. 6. (*z*) Hieroz. l. c. col. 58. seqq. & in toto, de Animalibus, opere. Confer. etiam *Ed. Stillingfleet*, in Orig. Sacr. L. I. c. 1. §. 3. & *Baylium*, Diction. Tom. I. p. m. 74.

rum 1) arguit illud amissam scientiæ lucem per peccatum. Quemadmodum itaque malè quis concluderet, hominem non accepisse potestatem in animalia, cum hodie videamus, feras hominibus nocere: ita quoque à scientia nostra hodierna, quæ ferè nulla, ad primigeniam vitiosa est collectio. (*a*) Deinde 2) causa hujus rei est, quod nobis non ubique de intentione & respectu Adami constet, quem habuit, cum tale vel tale nomen bruto imponeret. Siquidem Adam non semper totam præcisè animantis cujusdam naturam, nomine imposito, exhaurire voluisse censendus est; sed forte ad accidentia, in brutis obvia, quandoque respexit, v. gr. ad illorum qualitates & affectiones, differentiam specificam, formam externam, motum, usum & simile quid. (*b*) *Excipis:* ita non tam clarè corruscare sapientiam Adami adeo laudatam, si nomina animalium naturas illorum non exactè exprimunt? *Respondeo:* sapientia illa sese potissimum in expedita & extemporanea animantium, nunquam antea visorum, nomenclatione conspiciendam præbet: quæ enim hodie nonnisi gravi labore & multa experientia addiscimus, ea Adam promtè sciebat. Unde ex vero *Suidas* (*c*) scribit: *Quid*

(*a*) Vid. *Majus*, Oec. Tom. V. T. Cap. II. p. 166. (*b*) Conf. *Observat. Hallens.* Tom. VI. Observ. 24. §. 15. sqq. (*c*) In Lexico, ad vocem *Adam.*

hac sapientia scientiaque sublimius? Imposuit nomina, naturam ipsam & insitam cuique animali vim velut penicillo depingens, non præmeditatus, non ante contemplatus, nihil prorsus eorum ante perpessus, quæ homines addiscunt. Quibus consona habet *B. Lutherus*, (*d*) inquiens: *Extant varii libri, qui bestiarum naturas describunt; sed quanto tempore, quàm longa observatione opus fuit, dum hæc per experientiam ita colligerentur. Aliud in Adamo lumen fuit, qui statim, ut inspexit animal, totam ejus naturam & vires habuit cognitas.* Amplius 3) quod nobis non semper detur vim nominum veram assequi, ejus rei causa est, quod non omnes, nominum horum, radices in hebræa civitate hodie amplius reperiantur. Quare frustra rationem denominationis cujusdam animalis in ebræo quæsiveris, quam facile invenisses, si lingvas alias orientales, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, Armenicam &c. immo & occidentales, Græcam, Latinam, Germanicam, Slavonicam &c. in subsidium vocasses, utpote inter quas, tanquam filias, ditissima mater bona sua distribuit. Neque etiam vocum origines ex sola Scriptura sunt eruendæ, cum non contemnenda veteris ebraicæ lingvæ pars in aliis Hebræorum libris lateat. Denique 4) & hoc notandum, quod non omnium animantium

(*d*) Comment. in Genesin, fol. m. 27. Tom. VI. Wittebergens.

mantium nomina, quæ hodie in lingva ebræa reperiuntur, ab Adamo sint profecta, sed nonnulla duntaxat, juxta ea, quæ §. 23. 24. diximus; plurima verò ab hominibus sequioris ævi inventa, quædam etiam in fatalibus literaturæ hebrææ periodis immutata & alienis lingvis commixta. Ex quibus omnibus satis apparet, non statim, si rationem alicujus nominis reddere nequeamus, ineptum illud esse pronunciandum: quandoquidem non semper eam adhibemus curam in rebus investigandis, quam debebamus; nec instructi satis iis subsidiis sumus, quæ requirebantur. Et tantum de controversia hac recentiori!

Observatio X.
De Soloecismo literario.

Sciagraphia.

§. 1. *Solœcismi ἔτυμον.* §. 2. *Removentur Solœcismi grammatici,* §. 3. *nec non Solœcismi aliarum scientiarum.* §. 4. *Solœcismus literarius quid?* §. 5. *Veteribus Solœcismi literarii sunt condonandi.* §. 6. *Non æquè facile recentioribus.* §. 7. *Leviores Solœcismi venia digni.* §. 8. *Non æquè crassiores.* §. 9. *Gallorum supercilioſa natio ab erroribus literariis non est immunis.* §. 10. *Solœcismi literarii Lud. Jacobi*

à S. Carolo. §. 11. *Interpretis Galli epistolarum Jac. Bongarsii.* §. 12. *Phil. Labbei, Ant. Teissierii, Caroli Ancillonii,* §. 13. *Rich. Simonis, Mich. Lequien & Andr. Riveti,* §. 14. *Jac. Basnagii,* §. 15. *Joh. Clerici.* §. 16. *Aliorum ex Gallis obscuri nominis hominum.* §. 17. *Solœcismi literarii ex abbreviaturarum perversa interpretatione orti, & à Pontificiis commissi.* §. 18. *Alii Papistarum lapsus ex inepta vocum dividendarum compositione nati.* §. 19. *Similia sphalmata ex ignorantia literaturæ Orientalis ab iis commissa.* §. 20. *Baronii lapsus insignis.* §. 21. *Exempla Solœcistarum, qui ex libris & titulis illorum homines ejus nominis fabricarunt, v. gr. Vasquezii, Goulartii, Königii,* §. 22. *Simleri, Lindani, Barthii, Sluteri, Hannemanni, Bartholini,* §. 23. *& Anonymorum quorundam.* §. 24. *Illorum exempla, qui vice versa ex Hominibus libros vel aliud quid exsculpserunt: quomodo peccarunt, Wasmuthus, Reimmannus, Spizelius & Amama.* §. 25. *Lapsus circa Scriptores, eorumque nomina, patrias, religiones, &c.* §. 26. Παραδόματα *circa libros eorumque titulos commissa.* §. 27. *Item circa librorum editiones.* §. 28. *Peroratio epellæ.*

§. I.

§. I.

Solœcismi vox à Græcorum verbo σολοικίζειν originem trahit, quod in propria & stricta significatione notat: *non loqui, ut probatus fert mos loquendi.* Constat siquidem eos qui *Solis*, urbe Ciliciæ, habitabant, σολοίκους quondam dictos esse. Eam verò urbem Solonem, in Ciliciam profectum, ædificasse *Laërtius* in vita ejus testatur, atque in eam paucos collocasse Athenienses, simul tradit, qui cum temporis tractu peregrinam Ciliciæ lingvam cum patria miscerent, dicti sunt σολοικίζειν, quasi dicas: ipso sono & voce prodere, sese Solis habitare, & ibi Cilicense atque extraneum loquendi genus cum eleganti Atticorum dicendi ratione permutasse. Vid. *Ja. Mich. Dilherrus*, Disp. Acad. Tom. II. p. 331. Unde demum factum est, ut Grammatici vocem hanc sibi quasi propriam vendicaverint, & *quodvis in lingvis vitium, quod fit in contextu vel constructione sententiæ, ac integram orationem, ob neglectas Syntaxeos regulas, fœdat*, Solœcismum dixerint, & alio nomine *Imparilitatem* vel *Stribiliginem.* Lege Auctores *à Balth. Stolbergio* citatos, tract. de Solœcismis & Barbarism. N. T. in prolegom. Equidem, Solœcismum nec græcè nec latinè probè dici, quondam pronunciavit *A. Gellius*, L. V. Noct. Att. c. 20. Sed immemor fuit, & Aristotelem dixisse, de Sophist. Elench. c. 2. & 13. &, quod magis est, se ipsum, Libr. I. cap. 7. Quid, quod nec spernendi Auctores latini

Solœ-

Solœciſmi nomen uſurpaverint, veluti *Juvenalis*, *Seneca*, *Quinctilianus* aliive à Stolbergio memorati. Conf. *Phil. Caroli*, Animadv. in Gellii Libr. V. c. 21. p. 323. ſq.

§. II Nos de Solœciſmo literario acturi, hanc vocis ſignificationem propriam à tractatione noſtra prorſus abeſſe volumus. Neque enim de Solœciſmis Grammaticis diſſerere animus eſt, qui Viris doctis interdum præter intentionem exciderunt: licet utique illorum ſeges ſit fertiliſſima. Sedulus quondam in his notandis fuit *Gaſp. Scioppius*, delicatus earum ſordium collector, qui, ut verbis *Morhofii* utar, Polyh. Tom. I. Libr. I. c. 24. §. 81. *ingens domi ſterquilinium habuit, quod publicare voluit cum titulo Herculis κοπρο φόρου*. Quod inſtitutum etiam ex parte ipſo opere effectum dedit, in *Infamia Faniani*, una cum judicio de ſtylo hiſtorico, Soræ 1658. in 12. edita, ubi varios Fam. Stradæ, Scaligeri, Caſauboni, Lipſii aliorumque Solœciſmos grammaticos exhibuit. Pariter in colligendis ejusmodi Virorum doctorum vitiis deſudarunt *Franciſc. Vavaſſor*, libr. de Epigrammate, cap. XXII. *Jo. Petr. Titius*, manuduct. ad excerp. Part. I. §. 32. p. 157. *Philipp. Caroli*, diſſert. de Criticis, p. 28. & *Thom. Crenius*, Tom. I. Scriptorum Method p. 388. item in Animadverſ. Hiſtor. & Philol. Part. I. p. 73. Obiter hic notamus inſignem Solœciſmum grammaticum, qui occurrit in verſione latina Articulorum Smalcaldicorum,

dicorum, quæ, una cum aliorum Ecclesiæ Lutheranæ Librorum Symbolicorum translatione latina, edita est Lipsi. A. 1580. in 4. Scilicet Theologi Smalcaldiæ congregati, in tractatu de potestate & primatu Papæ, ipsis Articulis subnexo, inter alia hæc habent verba: **Christus giebt das höhest und letzte Gericht der Kirchen / da er spricht: Sags der Kirchen.** Translator, non rectè intelligens vocabulum germanicum **Gericht** / ita p. 317. vertit: *Christus summum & ultimum* ferculum apponit *Ecclesiæ, cum inquit: dic Ecclesiæ.* Vertere verò debuisset: *Christus commisit summum & ultimum judicium Ecclesiæ &c.* Conf. *Lud. Osiander*, Epitom. Hist. Eccles. Cent. XVI. Libr. II. cap. 37. p. 292. & *Nicol. Selneccerus*, in præf. editionis Concordiæ, Lipsi. An. 1584. procuratæ. Adde Theologorum Lipsiensium approbationem, præmissam Libro Concordiæ à Cl. Reineccio Lipsi. A. 1708. in 4. edito. Nec sicco præterire possum pede similem lapsum Translatoris Epistolarum, quæ à Viris doctis italicè scriptæ in *Marcelli Malpighii* Operibus posthumis, Londin. 1697. fol. editis, continentur. Scripserat Malpighio *Capuccius*, p. 29. *Et erano anche per mezzo del Signieur D. Bernardino Statemi transmesse, con un passaggiere l' Epistola de tactu*, i. e. transmissa mihi quoque fuerat à Domino Bernardino per peregrinatorem epistola de tactu. Sed translator latinus, partem posteriorem verbi auxiliaris passivi, cum annexo Dativo pro-

pronominis personalis primæ personæ, italico sermone ita expressi: *erano Statemi*, in nomen proprium Auctoris, *Statemii* dicti, ridicule transformavit. Ita enim verba ista p. 109 vertit: *Et pariter transmissa fuit, medio Domino Bernardino Statemio, per viatorem Epistola de tactu. &c.*

§. III. Sed & porro non adeo hic moramur Solœcismos seu insignes lapsus à Viris doctis in variis scientiis commissos, quibus percensendis aliquot volumina vix sufficerent. Ita v. gr. de erroribus magnorum Virorum in dicendo dissertationem Romæ A. 1635. in 8. edidit *Leo Allatius*, ubi iniqua Claudii Verderii judicia maximè secutus, censuram instituit in Auctores, tum veteres, quàm recentiores, monstratque, ubi illi defecerint in orationis charactere idoneo exprimendo; quamvis non adeo feliciter ei opera hæc cesserit, observante *Morhofio*, l. c. Tom. I. Libr. VI. c. I. §. 30. Pariter errores Eruditorum in Geographia commissi, neque rari, neque exigui deprehenduntur, prout exemplis pænè multis probarunt *Jo. Clericus*, Part. I. Artis Crit. Cap. I. §. 1. *Nic. Hieron. Gundling*, in Observat. Halens. Tom. IV. Obs. 15. & *Mr. Vigneul-Marville*, dans ses Melanges d'Histoire & de Literat. Vol. II. p. 213. sqq. Spectat huc etiam *Magn. Dan. Omeisii* dissertatio, de erroribus, qui Philosophis veteribus adscribi vulgo solent, Altorf. 1691. in 4. edita, quæ tamen illos tantum notat errores, qui aut falsò, aut dubiè iisdem tri-

tribuuntur. Denique in den Außerlesenen Anmerckungen/ Tom. IV. p. 145. sqq. consilium non modo, sed & specimen traditur conficiendi Calendarii errorum universalium, in omnibus scientiis ab omnium seculorum Eruditis commissorum; cujus conlectionis utilitas demonstratur & Auctores simul eò tendentes commendantur. Sed, ut diximus, hos & similes Soloecismos jam non adeò morabimur, licet à nobis non prorsus negligentur, inprimis quatenus simul in historiam literariam impingere deprehenduntur.

§. IV. Sunt verò nobis Solœcismi Literarii *errores ab Eruditis in scientia literaria, ex ignorantia aut præcipitantia commissi, & quidem vel circa Viros doctos, vel circa eorum opera, vel denique circa omne illud, quod ad objectum scientiæ literariæ commodè referri potest.* Scilicet, cùm non adeo insolens hodie sit, vitia in quacunque scientia, contra prima & genuina ejus principia commissa, Solœcismos adpellare, & v. gr. errores in sanam Politicam & rationem statûs impingentes, quos vulgo die Staats-Fauten vocant, *Solœcismos politicos* dicere: nihil prohibet, quo minus, eâdem loquendi licentiâ, vocem Solœcismi etiam ad rem literariam adplicemus, & sphalmata literaria per eandem exprimamus. Dabimus ergo observatione hâc literarios quosdam, qui Eruditis nonnullis exciderunt, errores, eosque crassiores inprimis & qui,

si rem

si rem ipsam spectes, nullo ferè modo excusari possunt. In iis verò recensendis ordinem servabimus non adeo anxium, sed prout sese nobis obtulerunt, ita eosdem Lectori benivolo communicabimus. Opem hic nobis, ne quid celemus, præstiterunt Scriptores sequentes: *Jacobus Boileau*, Doctor Sorbonicus, cujus Colloquium Criticum, de sphalmatis Virorum in re literaria illustrium, citat & excerpta ex illo tradit *Marville*, loc. cit. p. 205. sqq. *Jo. Fr. Mayer*, Programm. de turpi circa Auctores ignorantia, Hamburg. 1700. 4. edito. *Jo. Mollerus*, in Homonymoscopia passim; inprimis Libr. I. §. 5. p. 9. sqq. *Burc. Goth. Struvius*, Introd. in notit. rei lit. Cap. I. §. 4. *Jac. Fridr. Reimmannus*, in der Einleitung in die Hist. Lit. p. 133. sqq. aliive, quos bona fide in sequentibus adducemus. & nostris observationibus subinde augebimus.

§. V. De Veterum Solœcismis literariis non est, ut multa in opprobrium illorum adducamus: quandoquidem rei literariæ studium in seculis superioribus vel neglectum prorsus, vel primis tantùm, quod ajunt, labris degustatum fuit. Testamur *Ammianum Marcellinum*, Seculi IV. Scriptorem, qui de suorum temporum Eruditis refert, eorum nonnullos tam ignaros fuisse, *ut nunquam se Codices habuisse meminerint, & si in circulo Doctorum Auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum vocabulum esse, arbitrati sint.* Germanorum antiquorum in re lite-

literaria ruditatem satis mirari non potest *Jo. Bodinus*, Libr. V. de Republ. c. 1. scribens: quod à feritate belluarum non procul abfuerint, & inveterato quodam odio à literis abhorruerint. Conf. *Hachenbergii* German. Mediam, Diss. VI. de studiis Vet. German. §. 1. Immo plerique tantam sibi Germanorum Veterum in literis ignorantiam concipiunt, ut existiment, illos ne legere quidem aut scribere literas potuisse; inprimis cum *Tacitus*, de moribus Germ. cap XIX. disertè de iis dicat: *secretiora literarum Viri pariter ac fœminæ ignorant.* Quamvis, falsam hanc esse sententiam, & ex malè intellecto Taciti loco ortam, eruditè demonstraverit *Andr. Ludov. Kœnigsmannus*, dissert. duabus, altera de origine literarum apud Germanos, Kilon. 1707. altera de origine literarum amatoriarum, A. 1708. editis, ubi è circumstantiis textûs pluribus evincit, locum hunc Taciti de literis amatoriis, à Germanis antiquis, pudicitiæ studiosissimis & infensis adulterii ac scortationum hostibus, prorsus ignoratis, esse intelligendum. Et quid de neglectu studii rei literariæ in seculis barbaris, & per densissimas Papatus tenebras obscuratis, dicemus? Bibliothecæ in monasteriis ignorantia Monachorum obseptæ dilitescebant, & libri pulvere ac squalore consperfi conspiciebantur. Vid. *Bruschius*, de Episcop. German. Tom. I. fol. 123. 146. 210. 211. 255. *Poëtæ & Historiographi habebantur infames, & si quis incumbebat laboribus*

Antiquorum, notabatur, & non modo Asello Arcadiæ tardior, sed obtusior plumbo omnibus erat invisus, prout literaturæ ejus temporis faciem nobis depingit gravissimus Scriptor, gentis ac seculi sui decus, *Johannes Saresberiensis*, Libr. I. Metalogici, cap. 3. Non ergo mirum est, infinitos eo tempore commissos esse Solœcismos literarios, quorum unicum tantum adponere liceat, quem ex *Heresbachii* Orat. de laudibus liter. græc. commemorat *Dilherrus*, Dispp. Acad. Part. I. p. 672. Narrat ibi Heresbachius, se audivisse Monachum in Ecclesia ita inter alia declamantem: *nova reperta jam est lingva, quæ vocatur græca; ab hac sedulo cavendum. Hæc est, quæ parit omnes istas hæreses. Ea lingva proditus liber in manibus passim habetur, & vocatur Novum Testamentum; plenus hic liber est rubetis ac viperis.* (lege vepretis) Eundem Monachum adjecisse addit: *Aliam jam oriri lingvam, quam vocant ebræam, hanc qui discunt, efficiuntur Judæi.* Plures hujus generis flosculos legere qui desiderat, inveniet istos in *Ludov. Liebhardi*, Professoris quondam Baruthini, Orat. de palingenesia literarum, post profligatam literarum sub Papatu barbariem, Jenæ 1672. 4. impressa: nec non in Cl. V. *Christ. Junckeri* diss. de ineptiis Clericorum Rom. literariis, Lipsi. 1690. sub præsidio Rechenbergiano habitâ.

§. VI. Postquam verò, singulari DEI beneficio, literæ elegantiores Seculo XV. iterum efflo-

efflorescere inciperent, & Occidenti ex Oriente, per migrationes Virorum doctorum, lux nova affulgeret: Typographiæ etiam inventio & divinum Reformationis Evangelicæ opus accederent, (vid. *M Andr. Christoph. Calvisius*, diss. de causis incrementi literarii post barbara secula, Lipsi. 1698. & *M. Mart. Lubath*, de Oriente in Occidente, Halæ 1693. in 4.) non potuit non, quin res literaria quoque novas acciperet vires, & ex mortuis quasi resurgeret. Inprimis postquam seculis sequentibus, opera *Conr. Gesneri*, *Mich. Neandri*, *Georgii Draudii* & aliorum, nimium quantum illa excoleretur, & *à Gabr. Naudæo* primum in scientiæ formam redigeretur: cujus laudabilem industriam cùm docti Viri passim æmularentur, ad summum ferè fastigium studium hoc perduxerunt. E quibus Gallia suum celebrat *Raynaudum*, *Labbeum*, *Bailletum*, *du Pinium*, *Menagium*, *Colomesium*, *Harduinum*, *Simonem*; Italia, *Gaddium*, *Possevinum*, *Allatium*, *Magliabecchium*; Anglia, *Verulamium*, *Bodlejum*, *Seldenum*, *Caveum*, *Grabium*, *Bentlejum*, *Hudsonum*; Belgium, *Vossium*, *Grævium*, *Gronovium*, *Baylium*, *Basnagios*, *Clericum*, *Bernardum*, *Kusterum*, *Crenium*; Germania verò *Lambecium*, *Conringium*, *Thomasios*, *Bœclerum*, *Spitzelium*, *Bosium*, *Sagittarium*, *Schubartum*, *Hanckium*, *Placcium*, *Königium*, *Lipenium*, *Voglerum*, *Meibomios*, *Morhosium*, *Fr. Ben. Carpzovium*, *Menckenios*, *Schurzfleischios*, *Cellarium*, *Tentzelium*, *Vockerodtum*,

Buddeum, *Fabricium*, *Struvium*, *Gundlingium*, *Molleros*, *Gœtzium*, *Olearios*, *Læscherum*, *Junckerum*, *Groddeckium*, *Reimmannum*, aliosque rei literariæ aut summos antistites, aut indefessos cultores, qui vel consiliis, vel scriptis eandem juvarunt egregiè. Ut ergo Veteribus condonandi magis sunt quàm exprobrandi Solœcismi literarii; quod in tenebris palpaverint, nec sufficientibus, in historia literaria, adminiculis instructi fuerint. Ita contra graviorem merito incurrunt censuram ultimorum temporum Scriptores, quando in tanta rei literariæ luce cespitarunt, quæ tam multis colluſtrata est subsidiis ac instrumentis. *Excusabiles sunt* Solœcismi literarii, *si ætatem errantis respicias; qui ævo sequiori, omnis literatura elegantioris & accuratioris historiæ literariæ incurioso, aut sub initia seculi superioris, quo eadem à literarum Vindicibus ac instauratoribus primis nondum satis erat exculta, sunt commissi*, judice *Mollero*, in Homonymosc. p. 18. ubi ex adverso concludit, reliquos venia esse indignos, qui hoc nostro ævo committuntur, ubi scientia literaria longè augustiorem induit faciem.

§. VII. Equidem, si in ulla aliqua disciplina facilis datur lapsus, certè in historia literaria iste facillimo negotio committitur. Sive enim studii hujus vastitatem spectes, sive inde exsurgentem difficultatem, omnia ista ita comparata sunt, ut frequentes gignere possint Solœcismos.

cismos. Unde etiam oculatissimi in stadio tam vasto ac salebroso, quale historiæ literariæ cultoribus est emetiendum, nonnunquam impegerunt. Audiamus ingenuam Morhofii, Viri in re literaria exercitatissimi, confessionem. *Non ignotum mihi est*, scribit, præfat. ad Lect. Polyhistori præmissa, *quantæ molis opus humeris meis incumbat. Oceanum enim ingressus sum, in quo portum invenire difficile est, naufragii periculum à syrtibus & scopulis imminet. Quis enim in tanta multitudine rerum & librorum omnia exhauriret? Quis non alicubi impingeret?* Eadem ineluctabilia studii hujus fata dolet *Cl. Mollerus*, loc. cit. p. 20. 21. *Nemo*, inquit, *historiam illustraturus literariam, immunitatem ab omni errore, ob nodos, quibus interiores ejus recessus abundant, indissolubiles propemodum atque Gordios, multiplices item anfractus, Labyrinthos inevitabiles, ac viarum lubrica, sibi, quantacunque sit doctrina, industria & circumspectione, perpetuo poterit polliceri. Bonus etiam interdum Homerus dormitat.* Quo facilior jam, in arduo hoc ac amplo studiorum genere, est error, eò largior etiam parata esse debet errantibus venia. Nimirum tolerandi quadantenus sunt errores in historia literaria leviores & tales, qui committuntur, vel circa Scriptores & libros obscuriores ac pauciss. mis cognitos, vel circa res tales, quæ suis adhuc laborant difficultatibus, & disceptationibus eruditis coram Tribunali Critico adhuc ventilantur.

Inprimis verò, ut modo laudatus *Mollerus*, loc.cit. p. 18. 19. fatur, *veniam merito ab æquis impetrant judicibus* παροράματα *Virorum magnorum & de re literaria præclarè meritorum, quæ in illorum scriptis, ceteroquin accuratissimis & exasciatissimis, rarius occurrunt, & nævorum instar in facie pulcherrima obviorum,* πολυίστορας *quidem illos, sed non omniscios, nec* ἀναμαρτησίας, *humanam superantis conditionem, participes fuisse, ostendunt.* Præsertim si Viri docti eo comparati sint animo, ut & errare sese posse lubentes agnoscant, & benevolas aliorum admonitiones, eâ, quâ par est, humanitate desiderent, datasque æquo suscipiant animo.

§. VIII. Utut verò hæc ita se habeant, neutiquam tamen ista extendenda veniunt ad quoscunque, etiam pudendos maximè & puriles ferè errores literarios, quos in rebus obviis nonnulli, vel ex ignorantia, vel ex negligentia commiserunt, quibusve singulas ferè Scriptorum suorum, nimia festinatione deproperatorum, paginas turpiter polluerunt: sed alia horum habenda erit ratio. Scilicet dantur inter Eruditos, *qui*, ut verba *Molleri*, Homonym. p. 21. mea iterum faciam, *vel Musarum limina vix salutarunt, vel in studiis aliis, grammaticis, logicis, metaphysicis, omne tempus contriverunt; cum videant ista non tanto jam, quanto olim, in pretio haberi, Historiæ autem Literariæ cultores seculi & orbis eruditi gaudere applausu, illotis in hujus sacra*

sacra manibus involant, & chartis futilibus, luculentis insciticæ auctorum suorum testibus, istæ non illustrant, sed obscurant, ac meras ineptias, cum messe errorum uberrima, Lectoribus obtrudunt. Dantur præterea supercilioſi Critici, qui, Dictaturam in Republica literaria affectantes, ſe panſophos eſſe ſvaviter ſomniant, atque adeo cenſuram nullo modo ferre poſſunt, etiam ibi, ubi erant cenſendi & corrigendi. Atque horum quidem utrorumque Soloeciſmi literarii nullam merentur excuſationem, ſed potius virgula cenſoria ac juſtâ ſeveritate, absque contumeliæ tamen ſuſpicione, ſunt caſtigandi, ut & priorum illorum audacia coërceatur, & horum poſteriorum ineptè jactata omniſcientia omnibus riſui exponatur: utrique verò, ut cautius in poſterum mercari diſcant, admoneantur. Adſcribere non piget verba *Cl. Gundlingii*, quibus facete argumentum hoc illuſtrat. Ita verò in Programmate germanico, Halæ A. 1703. in 8. edito, quo Studioſis Juris Collegium in Hiſtor. Liter. intimavit, inter alia ſcribit: Es wird einem jungen Menſchen nicht verdacht/ wenn er die berühmten Schilder-Häußigen bey Paris nicht marquiret; oder Ysslingthon bey Londen nicht exact nennen kan. Aber darüber lachet jederman/ wenn er Venedig auff einem Berge ſuchet/ wenn er Schleſien und Francken miteinander vermenget; wenn er meynet/ der groſſe Mogol hätte den Türckiſchen Sultan mit Krieg überzogen/ die Inſulæ Fortu-

natæ wären Engelland / aus dem Ponto Euxino fahre man gerad in das Mare Caſpium, und was dergleichen Schnitzer mehr ſind; die ſonderlich von der Frantzöſiſchen Nation, nicht ohne Entſetzen und Erſtaunen der Teutſchen begangen werden. Eben alſo iſt es mit der Hiſtoria literaria und Cognitione bonorum Auctorum beſchaffen: -- Wer in Kleinigkeiten einen Fehler begehet / dem wird es wenig verdacht. -- Aber das ſind wol etwas grobe Schnitzer / die das occidentaliſche und orientaliſche Weid-Meſſer der Gelehrten verdienen / wann jemand die ſo bekandte Cabbalam vor einen leichtfertigen Menſchen ausgiebet. ꝛc. Aliquot hinc Solœciſmos literarios exhibet, & tandem concludit: Ob ich zwar wegen ſolcher Irrthümer dieſen guten Leuten die Seeligkeit nicht abſpreche / auch wol weiß / daß dergleichen connoiſſance von Auctoribus und Büchern zu einem frommen Leben nichts thue / noch vielweniger dieſelbigen unter die Zahl derjenigen hinſetze / die mit Catilina zu Rom einen blutigen Auffruhr erwecket / und die invectivas Ciceronis zuwege gebracht haben: So kan ich doch nichts deſto weniger den in Republica literaria bißherigen Gebrauch nicht gäntzlich mißbilligen / wenn dergleichen Scribenten mit dem Critiſchen Griffel ſo lange verfolget werden / biß ſie ſich beſſer darin̄ legitimiret / und das jus illius Civitatis mit gröſſerm applauſu von neuen erhalten haben. ꝛc.

§. IX.

§. IX Jam ad ipsos nos accingamus Solœcismos literarios, & eorum præcipuos, per lancem quasi saturam, exhibeamus. Merito verò hic primum locum assignamus Gallis, hominibus utplurimum fastu & insolentia tumidis. Tanta enim quorundam est arrogantia, ne dicam ridicula de se præsumtio, ut solos se judicii acumine esse præditos, sibique solis Superos ingenium excellens, peracre & limatum (*le bel esprit* lingvâ suâ dicunt) largitos esse jactitent. Atque hinc per consequens sibi solis monopolium in studiis elegantioribus vendicant, suos unicè, Simiorum more, mirantur fœtus, & nonnisi populares suos supra modum extollunt, adeo, ut verè scripserit *Almeloveenius*, de vitis Stephan. p. 4. *Gallis innatum esse suis Doctis gloriari.* Contra verò de aliarum nationum Eruditis & scriptis plerumque satis iniquè sentiunt, & Germanorum cumprimis ingenia sub cœlo nimis sterili esse nata, eorumque scripta nihil, vel subtilis ingenii, vel acuti judicii sapere, blaterant. Ipsa Gallorum, v. gr. *Bodini*, *Scaligeri*, *Barclaji*, *Perronii*, *Bouhursii*, *Bailleti*, *Brettevillii* & aliorum iniquissima, de ingenio & studiis Germanorum, judicia sicco præterimus pede; cum ista exhibuerint non modo, sed & simul falsitatis convicerint, ac gloriam Germanorum satis superque vindicaverint *Jo. Fr. Cramerus*, in Vindiciis nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos, per modum epistolæ ad Fr. Ben. Carpzo-

vium, ſtylo acri, quem juſtus dolor videtur expreſſiſſe, præſcriptis, & Berol. 1694. fol. editis. Item *M. Bernh. Petr. Karl*, in meditationibus de Germania artibus literisque nulli ſecunda, Roſtoch 1698. 4. impreſſis, quibus gloriam Germanorum literariam, per omne diſciplinarum genus, egregiè aſſeruit. Pariter *M. Mich. Richey*, Programma Stadæ A. 1705. d. 5. Jan. publicavit, quo Gallorum quorundam de Germanorum ingeniis judicia iniquitatis convicit, cujus excerpta dabunt *Nova Lit. Germ.* 1705. p. 118 ſqq. Denique in compendio de his legendus *Cl. Struvius*, Introd. in not. rei lit. Cap. V. p. 215. ſqq. & in Supplem. p. 41. ſqq. Equidem ſi convitiis res confici poſſet & ſcommatibus, dubia adhuc forſan Gallis reddi poſſet ingenii & eruditionis affectata laus: ſed ita inter Eruditos diſputandum non erat. Placet potius cordatum judicium, quod ingenuus quidam Gallus, *Urbanus Chevreau* tulit, in Chevræanis Part. I. p. 97. ſcribens: *On ne doit juger ni bien, ni mal d'une Nation par un particulier, ni d'un particulier par ſa Nation. Il y a des Allemands comme des François qui n'ent point d'eſprit. -- Les François diſent, c'eſt un Allemand, pour exprimer un homme peſant, brutal; & les Allemands comme les Italiens, c'eſt un François, pour dire un fou & un étourdi. -- C'eſt aller trop loin, & il eſt certain, qu'il y a en France des gens fort ſages: des gens éclairez & penetrans en Allemagne.* Interim tamen ignoſcent nobis

nobis Galli, nec ægrè ferent, quod, populariorum inprimis suorum Solœcismos literarios detecturi, illos non esse infallibiles aut omniscios inde commonstremus, sed homines æquè ut Germanos, i. e. erroribus obnoxios: qui de cetero præclaram ingenii doctrinæque laudem multis illorum non invidemus; plerisque verò levitatis elogium, quod iis tribuit *Gramondus*, ipse Gallus, scribens: *jactamur per omnes scientias, neq; immergimur*, lubentes relinquimus.

§. X. Primum ex Solœcistis literariis producimus *Ludovicum Jacobum à Sancto Carolo*, Cabilonensem Burgundum, Carmelitam, Consiliarium & Eleemosynarium Regium, ac Bibliothecæ Gondianæ Præfectum. Edidit hic Lugduni A. 1643. in 4. majori *Bibliothecam Pontificiam*, duobus libris distinctam: in quorum priori de omnibus agit Rom. Potificibus, à S. Petro, usque ad Urbanum VIII. nec non de Pseudo-Pontificibus, qui scripto claruerunt; in posteriori verò de omnibus dispicit Auctoribus, qui cum in generali, tum in particulari Rom. Pontificum vitas & laudes nec non auctoritatem posteritati consecrarunt. Huic libro secundo per appendicem quasi p. 453. sqq. adjungitur: *Elenchus Hæreticorum, qui adversus Romanum Pontificem malo animo scripserunt.* In hujus jam pag. 455. ridicula prorsus metamorphosi, librum quendam in similis nominis hominem, sine Magiæ tamen suspicione, transformat. Ita enim loco isto

isto scribit: *Articulus Alsmacaldus, Germanus, Lutheranus, edidit de primatu & potestate Papæ librum.* Scilicet nominare debuit tractatum, *de potestate & primatu Papæ*, per Theologos Smalcaldiæ congregatos conscriptum, qui reperitur additus *Articulis Smalcaldicis*, libello Ecclesiæ Lutheranæ symbolico, tertio loco in Concordiæ libro extante. Atque hic literarius Solœcismus eo est magis inexcusabilis, quò faciliùs eundem advertere & evitare poterat Auctor, ex allegatis à se, paginâ statim sequenti 456. *Burchardi Harbarti*, Germani, Lutherani, Thesibus *de tertio & quarto Smalcaldicæ confessionis articulis, de Papa, ejusque, quem sibi tribuit, primatu*, Lipsi. 1609. 4. editis. Quo tamen non obstante novum quendam, ex libro hoc, fabricabit Auctorem, novus, si Diis placet, Prometheus, merito eapropter castigatus a *Joh. Gottlieb Mœllero*, Disput. Rostoch. 1693. divulgatâ, de Clementis Rom. I. ad Corinth. Epistola; Alphonsi à Castro testimonio de ignorantia Paparum, & Lud. Jac. à S. Carolo erroribus; quâ ipsa dissertatione plures adhuc Scriptoris hujus Solœcismos literarios perstringit, quibus v. gr. Æg. Hunnium p. 453. appellat *Hundium*; Dan. Cramerum p. 458. eundem facit cum *Dan. Chamiero* Calvinista; *Gomarum* p. 460, *Sohnium* & *Bullingerum* p. 462. Lutheranis, *Danæum* verò p. 467. vice versa Calvinianis accenset: eâdem similiter ignorantia *Mornæum* & *Mornixium* p. 474 in unum compingit, vicis-

viciſſimque unum hominem in binos diducit, diverſa ponendo nomina *Roberti Abbatis*, vel *Abbatii & Roberti Abbotis*, & qui alii ſunt errores, quos *quidam quaſi hiſtoriæ literariæ Neſtorius Eutychesque futurus* commiſit, ut verbis utar, *Jo. Fr. Mayeri*, Diſſert. ſelect. Kilonienſ. & Hamburg. p. 427. Idem Ludovicus Jacobus Pariſ. A. 1644. in 8. librum edidit, ſpecioſo hôc titulô: *Traitté des plus belles bibliotheques publiques & particulieres, qui ont eté, & qui ſont à preſent dans le monde.* Sed nec hic ſibi à Solœciſmis literariis cavere potuit: id quod jam monuit *Adr. Bailletus*, Jugem. des Scav. Tom. II. p. 273. veriſſimè judicans, quod parum diligentiæ & judicii in opere hoc adhibuerit; multa incerta, aliorum fide credulus, ipſe adduxerit. Sic e. gr. verba *Melch. Adami*, quæ in vita Jo. Brentii, p. m. 445. occurrunt: *Sequenti die venit Halam* (Svevorum ſcilicet illud nobile oppidum, ubi officio eccleſiaſtico defungebatur Brentius) *quidam Hiſpanorum Epiſcopus*, hoc modo Carmelita noſter p. 200. vertit: *un Eveque, nommé Halam*; quaſi nomen Epiſcopi illius *Halam* fuerit. Pariter p. 203. ubi de Mathematico inſigni Joh. Mullero, ejusque patria Regiomonto, Franconiæ oppido, loquitur, *Franconiam & Franciam Orientalem* turpiter confundit, pro ſynonymis iſtas regiones habens. Confer. *Struvius*, in Supplem. ad Introduct. in not. rei lit. p. 1.

§. XI.

§. XI. Succedat *Interpres Gallus*, qui non adeo multis abhinc annis *Jacobi Bongarsii* Epistolas latinas (Argent. A. 1660. in 12. una cum Lingelshemii junctim editas, præter quas Bongarsii ad Camerarium Epistolæ separatim prodiêre Lugd. Bat. 1647. 12.) in gallicum sermonem convertit, ut Delphino Franciæ ad rudimenta lingvæ latinæ viam sterneret: homo alias non infimæ sortis; siquidem opera ejus ab universa Academia Gallica elogio & approbatione fuit condecorata. Is, quoties celeberrimæ Academiæ *Altorfinæ*, in qua eô tempore florebant Viri summi *Scipio Gentilis* & *Conradus Rittershusius*, communes Bongarsii & Joach. Camerarii amici, in literis mentio fit, toties eam, quam civitatem esse ignorabat, mirifica transfiguratione, in nescio quem hominem, quem stylo suo *Monsieur Altorfius* appellat, subito transformat: errore immani, sed quem *Thuanus*, popularis, ei eximere potuisset, qui multa præclara de illa Academia memoriæ prodidit. Ipsa quædam, ne injuriam Auctori facere videamur, adponamus loca. Scripserat Bongarsius Epistola 32. ad Camerarium: *Ad Gentilem nostrum* Altorfium *curabis*, *nisi molestum*, *literas meas & fasciculum*, *quem filio tuo commisi*. Ea hunc in modum reddidit Interpres gallicus: *Je vous supplie*, *de prendre la peine*, *de rendre ma lettre & le paquet que j'ay mis entre les mains de Monsieur votre fils*, à Monsieur *Altorfius*. Pariter, quando Epist. 148. eidem Ca-

Camerario scripserat Bongarsius: Altorsium *quod excurrere non licuerit, sane doleo, & salutare ibi & Scipionem nostrum & Rittershusium &c.* ista Interpres more suo transtulit: *Je plains* Monsieur Altorsius, *de ce qu'il n'a pû faire une course jusques au lieu, ou vous savez, pour y saluez nos amis, Mr. Scipion & Mr. Rittersh.* Confer etiam Epistolam 61. & calculum addes Cl. Viro *J. Fr. Cramero*, falsè Solœcismum hunc literarium his verbis perstringenti: *Tam insignis transformationum artifex & architectus ne ipse quidem Ovidius fuit, ut quindecim libris μεταμορφοσεῶν exiguum oppidulum convertere in personam aut unum hominem posset. Benè autem se res habet, si huic homini Geographiæ Delphinum docendæ non demandata provincia est. Alioquin florentissimam urbem* Norimbergam, *mulierem & matrem crederet esse* Domini Altorsii. *Sed ingeniosis hominibus, quod lubet, licet. Quod si Germanus in animum induceret, è gallico scripto latinum facere, & forte fortuna incideret in Academiæ nobilissimæ nomen* Orleans, *idque nomen, ignorantia Geographiæ deceptus, consulto Lexico, nescio quam fœminam,* Aureliam, *interpretaretur, DEUS bone, quos cachinnos irridentium Gallorum miserrimus homo concitaret! Verum nobis, Germanis scilicet, ne hiscere quidem contra tam politos & urbanos homines licet, etiamsi multo graviores errores committerent.* Hæc Cramerus in Vindic. nominis german. contra Gallos, plag. G. fol. 2.

fac.

fac. b. Idem sphalma literarium notarunt *Tentzelius*, in den Monathl. Unterred. A. 1695. p. 169. *Gundlingius*, Tom. IV. Obs. Halens. Obs. XV. p. 337. & infensissimus, dum viveret, Gallicæ arrogantiæ hostis *Jac Rhenferdius*, in de Eerste Oorsprong der Brœdertwisten, libello Amstelod. ut titulus habet A. 1708 in 8, sub ficto *Irenæi Philalethus* nomine, edito, pag 104.

§. XII. In contexendis rei literariæ & librariæ Catalogis totam pænè vitam quondam consumsit *Philippus Labbe*, Bituricensis, Soc. Jes. vir multæ lectionis & stupendæ prorsus diligentiæ. *Irrepserunt tamen*, Catalogis hisce, *errores nonnulli, vel circa nomina & librorum titulos, vel circa ipsos tractatus*, ut monet *Struvius*, Introd. p. 322. Sic in *Nova Bibliotheca MSCtorum librorum*, Paris. 1653. in 4. ab eo edita, egregiè eum abbreviatura quædam decepit, ut sphalma aliquod insigne committeret. Rem ita narrat *Marville*, Melanges, Tom. II. p. 215. *le P. Labbe, cite dans sa Bibliothéque un Manuscrit*, ex Bibliotheca Cardinalis Baronii, *au lieu, qu'il faloit dire:* ex Bibliotheca Caroli Baroniis. *Peut être, qu'aiant trouvé quelque part le titre de ce Manuscrit en abregé:* ex Biblioth. Car. Baron. *ébloüi par l'aparence, il a donné dans le paneau.* Plures sunt Solœcismi literarii, quos idem Labbeus in sua *Bibliotheca Bibliothecarum*, aliquoties edita commisit. Scripserat *Mich. Kirstenius*, Gymnasii Hamburgensis Professor, Carmen in com-

commendationem Bibliothecæ ejus Reipublicæ, quod Hamburg. Anno 1651. fol. sub titulo: *Memoriæ Bibliothecæ Hamburgensis*, prodiit. Hoc carmen Labbeus p. m. 54. edit. Paris. A. 1664. 8. inter Scriptores Bibliothecarios collocavit, quasi Catalogus esset Bibliothecæ Hamburgensis; meritò ob lapsum hunc notatus in *Placcii* Theatro Anonym. §. 1609. p. m. 395. Pariter quando *Davidis Frölichii* Viatorium seu Cynosuram peregrinantium, Ulmæ 1644. in 12. editam, Scriptoribus Bibliothecariis accenset, vel hôc ipso Solœcismo demonstrat, se *multos libros non legisse, sed titulo deceptum huc retulisse*, prout rectè judicat *Meibomius*, Additam. ad Vogler. p. 167. Equidem eandem Labbei Bibliothecam longè auctiorem, Genevæ 1686. in 4. dedit *Antonius Teissier* hoc titulo: *Catalogus Auctorum, qui librorum Catalogos, indices, Bibliothecas, Virorum eruditorum vitas &c. scriptis consignarunt.* Cui ibidem Anno 1705. 4. *Auctuarium* etiam accessit. Verum, si dicendum quod res est, tantum abest, ut Labbei errores debita accuratione ubique correxerit, ut potius suos illos fecerit, & novis quandoque erroribus auxerit. Ita v. gr. notaverat Labbeus Scriptores quosdam Protestantium religioni addictos literâ *H*, ut ab iis tanquam *Hæreticis* incauti sibi caverent. Sed literæ hujus significationem forte non intelligens Teisserius, bonâ fide eandem in sua editione nominibus Protestantium præfixam reliquit: cùm tamen insti-

tutum ejus fuerit, Bibliothecam Labbeanam, novâ hac editione, repurgatam dare ab omnibus erga Protestantes injuriis, quibus ille optimis Auctoribus insultaverat. Alium ejus lapsum, quem p. 21. Auctuarii sui commisit, ubi *Antonii Wood* Athenas Oxonienses, cum ejusdem Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis perperam confundit, & hanc illarum esse versionem latinam autumat, vide notatum in Epistolis selectis *Domini Bælii*, nuper demum Roterod. 1714. in 8 gallicè editis, Tom III. p. 809. in notis. Ubi & pag. 952. *Caroli Ancillonii* Solœcismi literarii, in Historia Solimanis II. ab illo edita conspiciendi, deteguntur, quibus v. gr. ex Æmilio Probo & Cornelio Nepote diversos facit Auctores; Philostratum & Eunapium, putat scripsisse vitas Virorum bellica virtute illustrium, qui tamen Philosophos & Sophistas percensuerunt, & quæ alia sunt hujus commatis errata.

§. XIII. Magnam fuisse *P. Richardo Simoni*, Congregationis, quæ Oratorii dicitur, quondam Presbytero, in re literaria notitiam, vel ipsimet ejus adversarii fateri necessum habent. Sed dormitasse Criticum hunc seculi sui doctissimum pariter ac audacissimum, & graviter quandoque hallucinatum esse, vel ex sequenti Solœcismo ab eo commisso adparet. Scilicet in Historia Critica V. T. gallicè primum ab eo edita, deinde à Natali Alb. de Verse in latinum versa, statim ab initio Libr. I. cap. I. *Suniam* & *Fretelam*, duos Vi-

Viros exercitui Gothico præfectos, quibus D. Hieronymus Epistolam scripsit, (quæ extat Tom. III. Oper. p. m. 53. edit, Francof. de A. 1684.) falsò reputavit fœminas esse pias, in Germania viventes. Ipsa Simonis, ex versione latina, quæ ad manus est, adscribamus verba: *Hoc Criticæ genus*, scribit p. m. 1. *tum temporis in solemni adeo usu erat, ut* NB. *multarum illustrium Matronarum singulare studium foret, atque adeo Divo Hieronymo sæpissimè opus esset difficultates ab ipsis propositas super variis S. S. Scripturæ lectionibus enodare. Nihil, quod quidem ad rem istam attinet, doctius & eruditius, quam quod Juniæ & Fretellæ* (lege Suniæ & Fretelæ) *responderit; quæ ad ipsum ex intima Germania scripserant literas, ex quibus tam egregiè lingvam Græcam & Hebraicam quam latinam, ipsas callere elucet.* Potuisset verò insolens hic aliàs Criticus facile lapsum hunc evitare, & Hieronymum non fœminis, sed viris militibus has literas scripsisse rescire, si accuratius pensitasset *Hieronymi* verba, in principio statim epistolæ occurrentia, ubi ita: *Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingva Hebraicam quæreret veritatem: & dormitantibus, immo contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritûs S. eloquia scrutaretur. -- Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stylum calamumque mollescunt: & bellicosa pectora vertuntur in mansvetudinem Christianam. &c.* Eundem nihilominus errorem

Michael le Quien, Ordin. Dominican. homo pariter Gallus erravit, de quo *Marvillius*, loc. cit. p. 207. scribit: *Le P. Lequin suivant pas à pas M. Simon, a donné tête baissé dans la même bévûë. Le P. Martianay*, (Joannes Martianæus, Monachus Benedictinus, editor noviſſimus Operum Hieronymi, quorum primum Volumen prodiit Pariſ. A. 1693.) *homme vif & qui n'entend point de raillerie, a relevé de ſentinelle le P Lequin, & lui a oposé deux gros Manuſcrits, l'un de M. Colbert, & l'autre de S Germain des Prez. où la Lettre de S. Jerôme à Sunia & Fretela porte pour têtre:* Suniæ & Fretelæ Fratribus: *ce qui termine la querelle.* Inductus verò videtur in errorem hunc P. Simon *à Riveto*, aliisque, qui Suniam & Fretelam claris Matronis & Virginibus perperam annumerant, notante *Reineſio*, in variis lectionibus, p. 375.

§. XIV. Nunc porro *Jac. Baſnagium* volumus, Eccleſiæ Reformatæ Gallicæ primum apud Roterodamenſes, deinde apud Hagienſes Miniſtrum: quem cum fratre natu minore *Henrico Baſnage de Beauval*, J. U. D. & Curiæ quondam Rotomagenſis Advocato, Auctore Diarii, quod ſub titulo: *Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans* in Belgio prodiit, perperam confundit *Thomaſius*, in den Monathen / A. 1688. p. 227. & qui eum ſequitur *Junckerus*, de Diar. Erudit. p. 201. notatus à *Dn. Bayle*, Diction. p. m. 499. Edidit noſter Jac. Baſnage inter alia *Hiſtoriam Judaicam*, Ro-

Roterod. A 1707. V. Tomis in 12. lingva vernacula editam. Vid. *Act. Erud. Lipſ.* A. 1707. p. 448. Sed varios Solœciſmos literarios hic commiſſos notavit *Jo. Cornandus de la Croſe*, Bibliothecarius Berolinenſis libello Colon. (i. e Amſtelodami) A. 1711. in 12. ἀνονύμως edito, hoc titulo: *Entretiens ſur divers ſujets d'hiſtoire, de litterature, de religion, & de Critique*, cujus excerpta dabunt Auctores der Neuen Bibloth. Tom. II. p. 123. ſqq. quorum etiam verbis extantiores quosdam Baſnagii errores dabimus: Tom. I. macht Baſnage aus einem Heyden einen Edelmann (Gentilhomme) weil in der Lateiniſchen Verſion Joſephi, die Griechiſchen Worte δεσποτης ἑλλεν durch Dominus *gentilis* gegeben worden. -- Tom. V. p. 21. 35. handelt Baſnage von dem Hochmuth der Jüden / und wie ſich dieſelbe offt / wie elend ſie auch ſeyn / vor Barons, *el varon*, ausgäben. Nun iſt aber bekandt / daß das Spaniſche Wort *el varon*, nichts anders / als das Lateiniſche Vir bedeute / daß alſo nach dem Urtheil unſerer Unterredner (dialogos Domini de la Croſe innuunt) die gantze Welt vom Herrn Baſnage einen Adel-Brieff bekommen. -- Hierauff gehen ſie zum Tom. II. über / und mercken an / daß Baſnage an zwey Orten / p. 640. und 662. den Sextum Empiricum zum Zeugen einer Sache / welche den Jüdiſchen Patriarchen Gamaliel betrifft / angeführet habe / da doch dieſer letztere mehr als hundert Jahr nach dem erſten

gelebet. -- Der Medicus Marcellus aus der Secte der Empiricorum, welcher im 5ten Seculo gelebet/ hat in seinem 23. Cap. einen locum von dem Gamaliel, weil nun Basnage den Marcellum Empiricum irgend allegiret funden/ so wird in den Unterredungen vermuthet/ es habe derselbe als ein guter Criticus den Nahmen des ihm unbekandten Marcelli corrigiret/ und den Philosophum Sextum daraus gemacht. Tom. II. p. 860. handelt Basnage von dem Aristobulo, einem Jüdischen Philosopho, von welchem in der Uebersetzung des Eusebii gesagt wird/ daß er zu Paneas gebohren sey. In dem Griechischen Text stehet ὁ πάνυ, daraus meynt er/ hätte der ungeschickte Interpres durch Unverstand den Ort Paneas gemacht. Es bedeute aber ὁ πάνυ so viel als autrefois oder ehemalen. Es habe der Uebersetzer von *Saint Jean de Climaque* einen fast gleichen Fehler gemacht/ welcher Ἰωαννης ὁ πάνυ übersetzet Johannes Opanius. Hingegen wird in diesen Unterredungen erinnert/ daß es ein lächerlicher Schnitzer seye ὁ πάνυ durch autrefois oder ehmal zu geben; Das Wort bedeute so viel/ als valde illustris, nobilis, clarus, magnus, und werde von gelehrten Leuten gebraucht/ sie mögen leben oder nicht. Es seye auch die Vermuthung des Scaligers nicht ungegründet/ daß man in dem Griechischen Text müsse lesen: Ἀριστοβούλῳ τῷ ἀπὸ Πανέαδος. Drittens M. Basnage müsse gemeinet haben/ *Climaque* seye das Vaterland/ oder der

der Zunahme seines angeführten Auctoris, aber darinnen irre er sehr. Es seye eigentlich der Titul des Buchs / von dem nomine appellativo κλίμαξ (scripsit enim *Johannes* hic, *Sinaita* alias dictus, Scalam Paradisi, quæ cum κλίμαξ græcè dicatur, hinc *Climacus* dictus est, quasi *scalarius*. Vide *Olearii*, Biblioth. Scriptor. Eccles. Tom. I. p. 380.) drum habe er sollen setzen *S. Jean Climaque*. -- Tom. V. p. 2080. stehet ein heßlicher Fehler: es wird gesagt / es seye zu Hamburg ein Rabbine gewesen mit Nahmen Ezdard oder Esdras, welcher / nachdem er sich zur Christlichen Religion gewendet / viele Jüden bekehret habe. Der rechte Nahmen ist Esdras Edzard, und es ist so wenig daran / daß dieser gelehrte Lutheraner solte ein Rabbine gewesen seyn / daß auch niemahlen der geringste Argwohn des Judenthums in desselben Familie gewesen. Bey diesem Schnitzer merckt der Auctor der Entretiens einen andern an / welchen der gute *Bartoloccius* begangen / indem derselbe / aus dem berühmten Professore zu Saumur, Mose Amiraldo, einen bekehrten Juden Moses Amurat gemachet. &c. Plura Basnagii sphalmata literaria excerpere, per paginarum angustiam prohibemur; legat, qui reliqua desideret, ipsum Dialogorum Auctorem. Equidem vindicias errorum suorum paravit Basnagius, dans l'histoire de Juifs reclamé, & retablie, quæ Roterod. An. 1711. in 12. prodiit, & sextum Tomum historiæ Judaicæ constituit: sed parum

aut nihil dialogorum Scriptori reponere potuit. Vide die Neue Biblioth. Tom. II. p. 772. sqq.

§. XV. Gallorum Solœcistis literariis etiam annumerandus venit *Joannes Clericus*, natione Genevensis, qui in Gymnasio Remonstrantium Amstelodamensi hodie Professoris munere defungitur. Vir ceteroqui multæ lectionis & eruditionis non proletariæ, quam multis scriptis orbi erudito declaravit: sed qui simul vitio nationis suæ nimium indulget, hoc est, se suaque unicè miratur, Polyhistoriam affectat, & tribunali Critico occupato, dictaturam in Viros omnium consensu eruditos, nimia licentia & acerbitate, exercet, ut gloriam sibi ex ruinis illorum ædificet, auctoritatemque acquirat. Constat hoc non solum ex scriptis ejus, inprimis ex Bibliotheca universali & selecta, ubi indignè passim videas tractatos Viros summos; sed idem ex controversiis etiam patet, quæ ei cum *Gvilh. Cave*, *Jac. Perizonio*, *Jac Rhenferdio* & *Petro Burmanno* intercesêre. Quorum tamen ultimus in tractatu: *Le Gazettier Menteur, ou Mr. le Clerc convaincu de mensonge & de calomnie*, Ultraj. 1712. in 12. edito, Clerici non modo in Viros doctos iniquitatem, verum etiam varios ejusdem in lingvis & scientiis lapsus pudendos, stylo mordacissimo, detexit: peculiari errorum Clerici deductione prolixiori in aliud tempus sibi reservatâ. Nos speciminis loco, ex libello isto gallico Solœcismos quos-

quosdam literarios, à Clerico commissos, verbis Burmanni dabimus. Ita verò p. 80. sq. scribit: *Si Mr. le Clerc ne connoit pas les hommes doctes de tous les siecles, & s'il prend* Bullinger, *Theologien Protestant, pour le Jesuite* Boulenger (in notis ad Pedonem Albinovanum, quem sub ficto Theodori Goralli nomine Amstel. 1703. 8. edidit,) *c'est, qu'il ne croid pas les Jesuites capables d'aucune science, & aime mieux derober cette gloire aux Catholiques, pour en faire part aux Reformez. S'il nous nomme un* Lyra *pour* Lyræus, *Professeur à Utrecht,* (in Bibl. Univers. Tom. I. p. 332.) *c'est parce que le stile de Mr. Grævius est tout autre, que celui des Philosophes de Geneve, qu'il ne s'y entendoit pas, & q'il avoit en tête un certain Lyra, Commentateur de l'Ecriture sainte. S'il a cru, que* Olympius & Nemesianus *étoient deux Poëtes differens* (Art. Crit. Part. I. p. 80. 81.) *c'est qu'il a toûjours cru, que les Poëtes étoient des canailles, qui ne meritoient pas de porter deux noms, à la maniere des honnêtes gens a Rome. S'il n'a pas pû, avec toute son application au travail, comprendre, quel homme a été cet horrible* Plut. *qui avoit écrit la Vie de Galba, & dont Etienne & Constantin font mention dans leurs Dictionaires, ce n'est pas sa faute, parce qu'il étoit si frappé de ce terrible nom, qu'il le prit d'abord pour le Roi des enfers* Pluton, *quoiqu'il ne pût pas croire, qu'il eut jamais ecrit de livre; mais qu'étant un peu apres*

revenu à soi, il changeoit de sentiment & supçonnoit que ce pourroit bien être le Plutus *de son cher Aristophane, Dieu des richesses. De plus faisant reflexion, qu'il n'avoit jamais connu ce Dieu fort favorable aux Gazettiers, ni* Gallulis esurientibus, *non plus que* Pluton, *il étoit oblige d'avouer, que c'étoit un homme inconnû pour lui, & qu'il avoit resolu d'attendre les avertissemens de public sur cet inconnu. &c.* Occurrit ultimus hic Solœcismus, quem inprimis exagitat & Clerico exprobrat Burmannus, in *Menandri & Philemonis reliquiis, cum notis Grotii & Clerici Amstel. 1709. 8. editis*, ubi editor Clericus p. 29. ad vocem Απαρηγόρητον sequentia notat: Απαρηγόρητον *dicitur, quod non est* παρηγορητον *seu consolabile, à* παρηγορέω *consolor. Vulgo* Απαραμυθητὸν *dicitur. Rei nimirum amatæ jactura consolationem non admittit: profertur ab Henr. Stephano, & Rob Constantino* απαρηγόρητον *hoc sensu,* „ *quasi ex* Plut. in Galba. *Sed quis sit ille* Plut. „ *qui de* Galba *scripsit ignoro, nec quis alius hic* „ *lateat, comminisci queo.* Scilicet latuit Polyhistorem nostrum, quod vel tyrones sciunt, Plutarchum scil scriptorem notissimum, vitam Galbæ Imperat. scripsisse: adeoque abbreviatura ista *Plut.* deceptus, obscuri nominis scriptorem sibi finxit, deperditum forte aut latentem. Conf. Die Neue Biblioth. Tom. I. p. 528. sqq.

§. XVI. Dimittemus Gallos, postquam unum adhuc vel alterum detexerimus Solœcismum

cismum ab hominibus nationis suæ commissum. Notum est Joh. Jonstonum post alia scripta erudita etiam edidisse Historiam Plantarum, una cum appendice, quam *Mantissam* i.e. accessionem inscripsit. Hanc Mantissam Archiater Regis Gallorum *Mr. Aquin* auctorem esse rarissimum, cujus nomen sit *Mantissa*, reputavit. *Mr. Aquin*, scribit Marville, Melang. Tom. II. p. 216. *premier Medicin du Roy dans ses Mémoires sur la préparation du Quinquina, a pris* Mantissa, *qui est le titre de l'Appendix de l'histoire des Plantes de Jonston, pour le nom d'un Auteur si rare, qu'il ne le connoissoit point.* Nec minor est lapsus *Flosii*, hominis itidem Galli, sed, ut apparet, idiotæ, qui per integri diei spatium in mappis Geographicis *Domocratiam* & *Aristocratiam*, velut urbium nomina, summo studio quæsivit: simili prorsus insciti, quâ ὁ δεῖνα vocem *Raptim*, quam epistolæ suæ nonnemo subscripserat, pro nomine loci habuit, eamque in schematibus geographicis anxiè indagavit. Vide *Miscellanea critica & literaria*, quæ ex familiaribus *Davidis Ancillonii* sermonibus collegit, & Basil. 1689. II. Tomis in 12. gallicè edidit filius Daniel Ancillon, Tom. I. p. 159. Et quis tandem lepidum istum, Galli cujusdam, non rideat Solœcismum, cujus meminit *Gundlingius*, Colleg. MSCto in Hist. Lit. Cap. I. §. 5. Hic Comitiis Germanorum dum præsens esset, & multis loqui audiret de consvetudine inveterata, quæ vim legis haberet, vulgo vom alten

Her-

Herkommen / *Herkomannum* vel *Herkommerum* scriptorem esse existimans, ad Jus publicum Germaniæ pertinentem, eundem in Bibliothecis & tabernis librariis avidè quæsivit, sed invenire non potuit.

§. XVII. Quam fœcunda Solœciſmorum literariorum mater sit abbreviaturarum vel ignorantia, vel perversa interpretatio, exemplo errorum Labbei & Clerici modo demonstratum fuit. Liceat hâc occasione alios adhuc ejusdem commatis lapsus, à Pontificiis inprimis commissos afferre. Repetimus primùm ex *Jo. Lomeieri* libr. de Bibliothecis, Cap. VIII. p. m. 121. ridiculam, de Clerico quôdam solœcizante, historiam. Commendaverat Episcopus aliquis, Otto dictus, Prælato cuipiam Clericum ad functionem ecclesiasticam obeundam, his circiter verbis: *Otto DEI gratia, rogat vestram Clementiam, ut velitis istum Clericum conducere in vestrum Diaconum.* Scriptæ erant literæ singulari abbreviandi modo, eô tempore inter Monachos satis frequentato, & hodie adhuc in lapidibus ac membranis conspiciendo, quem qui noverat, doctus putabatur. Literas ergo has commendatitias, cum Monachus, in experimentum eruditionis suæ, legere deberet, ita pronunciavit: *Otto DEI gram, rogat vestram clam, ut velit istum clincum clancum convertere in vivum Diabolum* Conf. *Rechenberg*, de inept. Cler. Rom. liter. §. 5. Sed condonari ista possunt insulso & illiterato

rato Monacho; quandoquidem Ecclesia Papæa longè gravius sphalma literarium commisit, eidemque hodie adhuc tenaciter inhæret. Scilicet venerantur Papicolæ inter Sanctos suos etiam *SS. Ursulam, & undecim millia Virginum Martyrum*, de quibus varia in Actis Sanctorum comminiscuntur. Verum perversa abbreviaturæ, in vetustis Martyrologiis occurrentis, interpretatio fabulosum hunc, 11000. Virginum Martyrum, progenuit exercitum. Audiamus rem narrantem *Hadr. Valesium*, in Valesianis, p. 48. 49. *Il y a eu une sainte Ursule Martyre, suivant la commune opinion. On ignore neanmoins de quel tems elle a été. Mais je suis tres-humble serviteur des onze mille Vierges. La fable est un peu trop manifeste, pour pouvoir la souffrir. Voicy sur quoi cette erreur est fondée suivant la conjecture du savant Pere Sirmond. Ceux qui ont forge cette belle histoire, aiant trouvé dans quelques Martyrologes manuscrits* SS. URSULA ET UNDECIMILLA V.M. *c'est à dire:* Sanctæ Ursula & Undecimilla Virgines Martyres, *& s'étant imagines qu'* Undecimilla *avec l'V. & l'M. qui suivoient, étoit un abregé pour* undecim millia Virginum Martyrum, *on fait là dessus ce Roman que nous avons aujourd'huy. Je ne comprens pas comment les Docteurs de Sorbonne, parmi lesquels il y a tant d'habiles gens, ont bien voulu laisser pour Patrones tutelaires de leur Eglise cette troupe de Saintes de contrebande, pen-*

pendant qu'ils en avoient à choisir tant d'autres de bon alloy. Confer etiam circa hunc Solœcismum *Basnagium*, Histoir. des Ouvrag. des Savans 1688. Fevr. p. 171. Affine huic est, quod de Hispanis nonnullis, canonisationem novi cujusdam Sancti, VIAR dicti, à Papa Urbano VIII. petentibus, refert *Jo Mabillon*, in Musæo Ital. Tom. I. Part. I. p. 145. *Notatu dignum est*, scribit, *quod Urbanus ab Hispanis quibusdam interpellatus de concedendis indulgentiis ob cultum cujusdam Sancti, cui* VIAR *nomen inditum erat, negaverit Pontifex id se facturum, nisi prius resciret quis & qualis esset ille Sanctus, & quô tandem argumento ejus sanctitas probaretur. Allatus est lapis, in quo hæ literæ reliquæ erant*, S. VIAR. *At periti judicarunt, fragmentum esse veteris inscriptionis, in qua quidam* PræfectuS VIARum *laudabatur.* Conf. *Tentzelii* Monath. Unterr. 1690. p. 363. Referri ceteroqui hæc exempla possunt ad Pontificiorum Sanctos chimericos, de quibus alias peculiariter differit *Gisb Voetius*, Disp. select. Part. III. Disp. 32. Quo etiam, præter *S. Christophori* exemplum notissimum, spectat, quod in *Breviario Ambianensi*, A. 1683. 4. Volum. in 12. edito, Lection. 2. de S. Firmino Martyre 25. Septemb. *Sancti* cujusdam *Auxilii* mentio fiat, qui nunquam in rerum natura extitit. *Il y est parlé d'un* Auxilius, *Eveque d'Angers, qu'on revére comme un grand Saint, mais qui ne fut jamais qu'aux yeux de ceux, qui par ébloüissement ont lû de*

Au-

Auxilio Præsule, *pour* Auxilio Præsulis. Vid. *Marville*, Melang. Tom. II. p. 219.

§. XVIII. Papistarum in re literaria ἀβλεψίαν dum notamus, placet nova ejus documenta, uno vel altero exemplo allato, in medium producere. Fingunt sibi Pontificii piam quandam Matronam *S. Veronicam*, de qua tradunt, eandem Christo, dum ad mortem duceretur, in via occurrisse, ut ejus sub cruce fatiscentis sudorem, lacrymas, sputa, sangvinem toto vultu sparsum, linteo abstergeret. In hoc Christum effigiem suam depinxisse inter eundum, & mirabiliter expressisse contendunt. Quod linteum hodie adhuc Romæ summæ venerationis est, & magna cum cura asservatur. Vide legendæ hujus defensores apud *Jo. Reiskium* de imagin. Christi, p. 60. sqq. & *Jo. Andr. Schmidium*, diss. de Sudariis Christi, §. 9. sqq. Sed fabulosa omnia esse, quæ de Veronica, Hierosolymitanâ cive, afferuntur, pluribus tuetur, *Joh. Mabillon*, Musei Ital. Tom. I. p. 88. ostendendo, *Veronicæ* vocabulum non esse nomen mulieris, sed imaginis ipsius, quam Veteres *Vera icon*, seu *iconia* dixerint. Nimirum duo hæc vocabula, invalescente barbarie, à Monachis ineptis fuere conglutinata, ut contractis in unum literis nomen *Veronica* inde prodierit, quod mulieri demum imposuerunt nugarum architecti & fabulam illam, de Christo faciem suam in sudario ejus exprimente, simul addiderunt. Mabillonio suffragatur *Dan. Papebrochius*,

chius, cujus mentem Lipsienses in *Actis Erud.* ad Ann. 1696. p. 503. sic explicant: *Lubens concedit, se in actis Sanctorum dubitasse, num mulier quædam nomine* Veronica, *quæ Christo crucem bajulanti occurrisse, eiq; faciem sudario suo tersisse perhibetur, unquam in rerum natura fuerit, quâ de re etiam jam pridem dubitatum fuisse notat, antequam Sanctorum Acta prodirent. Observat enim, nomen Veronicæ in Galesinii Martyrologio quidem legi, at Baronium, cum multis Sanctis Martyrologium augeret, Veronicam tamen addere ausum non fuisse; immo Gregorii XIII. tempore adjunctam expunxisse, & in suo Martyrologio alto silentio pressisse. Adducit præterea Scriptores, qui ipsum sudarium* Veronicam *appellarunt. Unde suspicatur, quod Veronica nihil aliud sit, quam* vera icon *Christi, quæ successu temporis corruptè* Veronica *appellata fuerit. Postremo addit, se sanctæ mulieris cultui nequaquam invidere, immo gratissimum sibi fore, si Romanæ Sedis auctoritate Veronicæ nomen Martyrologio restituatur, sanctitas ejus definiatur, & sic qualiscunque dubitandi locus omnibus eximatur.* Conf. *Illustris Leibnitzius*, in præfat. ad Chronographum Saxonem, quem cum aliis Chronicis sub titulo Accessionum Historicarum Hanoveræ 1700. 4. edidit. Adde *Christ. Kortholtum*, in Miscell. Academic. Kilon. 1692. 4. editis, §. 21. ubi ita fatur: *Nos nulli dubitamus ex φερω & εικων nomen istud formatum esse, indeq; scribi debere* Pheronica (ferens imaginem) *quod*

quod in Veronicam, & scriptione & pronunciatione, corrupta seculorum mutavit ruditas. Simili prorsus Monachorum Solœcismo literario, ex inepta compositione verborum, quæ dividenda erant, orto, acceptum debemus *Postillarum* titulum, quo libros ecclesiasticos insigniunt, qui exegesin & tractationem, sive Evangeliorum, sive Epistolarum omnium, quæ per totum annum diebus Dominicis & festis populo in Ecclesia prælegi solent, continent. Scilicet, ut docent membranæ veteres à Monachis scriptæ, & hodienum adhuc extantes, subjiciebant olim textui Evangelico vel Epistolico hæc duo verba: *post illa*; ad indicandum, *post illa verba textus sacri*, legendam esse proximè sequentem Evangelii vel Epistolæ explicationem. Verba itaque ista, quæ divisa erant, & dividi debebant, barbarè in unam vocem coaluêre, & cum primitus nota essent ac signum sequentis explicationis Pericopes biblicæ, postea nomen dederunt ipsis Homiliis & concionibus, sive Evangelicis, sive Epistolicis. Vid. *D. Godofr. Wegnerus*, diss. de Postillis Ecclesiasticis, Reg. A. 1700. edita.

§. XIX. Nondum satis ineptiarum à Pontificiis in re literaria commissarum: plures hujus furfuris in promtu sunt. De sui temporis Monachis scribit *Joh. Picus*, Mirandulæ Comes, in Apolog. pro Cabbala, p. 175. Operum ejus, edit. Basil. fol. *Horrendum istis Patribus videtur* Cabbalæ *nomen, & ex ipso penè sono timendum, ita, ut fortè sint*

ex ipsis, qui Cabbalistas non homines, sed hircocervos potius, vel centaurum, vel omnino monstrosum aliquid esse suspicentur. Quin immo, audi rem ridiculam, cum semel quidam ex eis interrogaretur, quid esset ista Cabbala? Respondit ille: fuisse perfidum quendam hominem & diabolicum, qui dictus est Cabbala; & hunc multa contra Christum scripsisse, inde sequaces ejus dictos Cabbalistas. Refert idem *Reuchlinus*, de arte Cabbal. p. 7. conf. *Hottingerus*, in Thesaur. Philol. L. I. c. III. Sect. V. p. 434. & *Scherzerus*, in Programm. p. 246. Talmudem, librum Judæorum doctrinalem, complectentem omnem eorum scientiam è Doctorum Judaicorum sententiis congestam, hunc inquam Talmudem *Henricus Seynensis*, Capucinus, pro homine Rabbino habuit, Tom. I. Anni Eccles. p 261. scribens: *Consvetudo erat admissa apud Judæos, ut narrat Rabbinus Talmud apud Spondanum, sepeliendi reos, in cruce mortuos.* Fuit etiam aliquis, quem literis initialibus M. A. designat *Jo. Mollerus*, in Homonym. p. 10. qui librum R. Mosis Maimonidis, מורה נבוכים *Moreh Nebochim*, i. e. *Doctor perplexorum* inscriptum, Auctorem vocavit Arabicum. Conf. *Christ. Græsius*, in Dyota Sacra, Part. I. p. 20. Similem fere lapsum irridendum commisit, *Franciscus Labata*, Soc. JEsu, quando Targum Hierosolymitanum, Paraphrasin istam Pentateuchi Chaldaicam, pro homine Judæo accepit, qui vocetur *Targus*, & Hierosolymis vixerit. Vide ejus

The-

Thesaurum Moralem, Tom. I. fol. 385. edit. Antwerp. 1652. II. Vol. in fol. Eadem literaturæ orientalis ignorantia *Michaëlem ab Isselt*, Theologum Pontificium Colonienſem induxit, ut inſigni ſolœciſmo Alcoranum habuerit pro Legislatore Muhammedanorum, libri titulum auctoris eſſe nomen ſtolidè perſvaſus. Ita enim in præfat. ad *Ludov. Granatenſis* Ducem Peccatorum ſcribit: *Coranus, ille inſignis Mahumetanorum legislator, beatitudinem in cibo & potu & uxorum multitudine conſtare affirmat.* Vid. *Jo. Ge. Dorſchæus*, Vindic. ad Exod. Part. II. Diſſ. IX. p. 179. & *Zach. Grapius*, Præfat. ad hiſtoriam literariam Alcorani, Roſt. 1701. 4. editam. Denique ſubjicimus, quod de *Athanaſii Kircheri* lapſu affert Auctor des eröffneten Ritter-Platzes/ Tom. II. im Antiquitäten-Zimmer/ p. 81. ubi ita: Mir fällt ein/ was der ſeel. Rath Gude von Athanaſio Kirchero zu erzehlen pflegen. Derſelbe erlangte einmahl eine Medaille, darauff etliche unförmliche Buchſtaben gepräget waren. Wie er nun ein Animalculum gloriæ und ſehr ehrgeitzig war/ alſo ſatzte er ſich hin/ und ſchrieb von dieſer Materie faſt ein halb Alphabeth, und ſchickte es zum Druck. Als aber ein Fremder dieſe Müntze zu ſehen bekam/ trat er mit Kirchero vor einen Spiegel/ und wies ihm/ daß ſein gantz arcanum einige verkehrte Griechiſche Buchſtaben waren/ welches ihn nöthigte/ die gedruckte Bogen gar heimlich zu unterdrucken. Conf. de

Kircheri in lingvis Orientalibus ignorantia & ἀθλεψία *Henr. Muhlium*, in Apologia Talmudica, præmissa novæ editioni Joh. Cocceji Sanhedrin & Maccoth.

§. XX. Jam dudum Viris doctis animadversum est, *Cæsarem Baronium* talem non esse, qualem sibi fingunt Curiæ Romanæ mancipia, i. e. Auctorem exactum omnibusque numeris absolutum: sed potius malæ fidei scriptorem, nævisque & erroribus multis conspersum; quos præter *Casaubonum*, *Ottium*, *Kortholtum* & *Basnagium* ipsimet notarunt ingenui Pontificii, *Valesius*, *Holstenius*, *Anton. Pagi* aliique. Liceat, in hujus rei documentum, egregium Cardinalis solœcismum afferre. Edidit post alia Martyrologium Romanum, Romæ 1586. & Venetiis 1587. in fol. impressum. In hac editione ex nomine Græcorum appellativo ξυνωρὶς, i. e. *par ein paar*, quod apud Chrysostomum de duobus Martyribus, apud Hieronymum verò de duabus mulieribus adhibitum legerat, nomen proprium Virginis cujusdam sanctæ Martyris, cui *Xynoris* nomen fuerit, format. Plenius ista refert *Marville*, Melang. Tom. II. p. 217. scribens: *Baronius fait mention dans son Martirologe, d'une sainte* Xynoris *Martyre d'Antioche au 24 Janvier, dont S. Chrysostome & S. Jerôme parloient avantageusement, ne considérant pas, que* Xynoris *n'est pas un nom propre, mais un nom appellatif, qui signifie* un couple, une paire. *Ensorte, que la pensée*

de

de ces Saints Docteurs est, l'un de parler de deux saints Martyrs Juventin & Maxime; l'autre de la Mere & de l'Aieule de Sainte Demetriade. Ipsa Baronii verba hæc sunt: *Antiochiæ, Sanctæ Xynoridis Martyris. De ea scribit S Joan Chrysostomus Homil. 4. de Lazaro: de alia juniore, nobilitate & pietate clara fœmina Syroride S. Hieronymus, Epist. 8 ad Demetriadem.* Conf. *Essais de Literature*, Tom. I. p. 23. 27. Admonitus ab amico hujus pudendi erroris Baronius, omnia fere illius editionis exemplaria iterum collegit, & in sequentibus editionibus lapsum emendavit: quo factum, ut prima ista Martyrologii editio ferè sit suppressa, rarissimè certe hodie conspiciatur. Audiamus iterum *Marvillium* l. c. dicentem: *Ce fut M. Nicolas le Févre, Precepteur de Loüis XIII. & ami particulier de Baronius, à qui il fournissoit des Mémoires pour ses Annales de l'Egliſe, qui s'aperçût le premier de cette bévûë, dont il ne manqua pas d'avertir l'Auteur. J'ai oüi dire, que Baronius fut si touché de cette erreur, qu'il retira tout ce qu'il pût de cette Edition des mains des Libraires & le suprima. C'est ce qui a rendu cette premiére Edition si rare, qu'elle ne se trouve presque plus, peu d'exemplaires aiant échapé à la juste colére de Baronius. M. de Launoy dans son livre contre le P. Millet Bénédictin de S. Denis en France, exagére beaucoup cette faute de nôtre Analiste, dans la page 156. Discussionis &c. cap 4. --- Il est remarquable, que dans l'Edition de Cologne*

de l'année 1603. on n'a pas eu le soin de corriger la table de ce Martyrologe, (indicem ejus) *comme on a corrigé le corps du Livre, où l'on trouve encore ces mots: Xynorides Martyr Antiochiæ 24. Januar.* Conf. *Nicol. Petr. Sibbern*, de libris Latinorum Ecclesiast. p. 96. & *Henr. Basnage*, Histoire des Ouvrages des Sçav. 1687. p. 44.

§. XXI. Titulos librorum, vel obscuros, vel minus rectè intellectos, solœcismis quandoque crassis ansam dare, variis hactenus ostensum fuit exemplis. Placet verò alia adhuc addere ridiculæ illius metamorphosis specimina, quâ nonnulli ex libris & eorum titulis homines ejus nominis fabricarunt. Sic 1) *Gabr. Vasquez*, Theologus inter Pontificios magnæ existimationis, edictum aliquod Imperatoris Constantis, quod in controversia Monotheletarum, sub titulo: *Typi Constantis*, indictione sexta A. C. 648. proposuerat, quove decreta quinque Oecumenicorum Conciliorum adprobaverat, omnem verò disceptationem, de voluntatum vel operationum in Christo numero, severissimè prohibuerat; (vide *Strauchii* diss. de Monotheletarum hæresi, Witteb. 1665. editam, §. 20.) hoc inquam edictum Jesuita noster habuit pro discipulo quodam & assecla Pauli, Patriarchæ Constantinopolitani, Monotheletarum Patroni & defensoris strenui, qui *Typus Constantis* dictus sit: *ce qui est aussibien débuté, que si l'on prenoit* l'Interim *de Charles-Quint pour un hérétique disciple de Luther*, ut benè

benè monet *Marville*, Melang. Tom. II. p. 207. Parilem lapsum 2) commisit *Simon Goulartius*, Sylvanectensis, Theologus Genevensis, in interpolatione Catalogi Testium veritatis Flaciani, Lib. XIX. fol 1871. edit. A. 1608. Nimirum scripserat Nigellus Wirekerus, testis veritatis in seculo obscuro luculentissimus, poëma aliquod, cui titulum fecit: *Brunellus*, seu *Speculum Stultorum*. Argumentum libri fabula est, seu Apologus de asino quodam satis prolixus, utpote versuum amplius ter mille octingentorum: in quo consilium auctoris fuit ridendo verum dicere, suique seculi mores perversos, Clericorum inprimis, si sanari fortè jocando possent, perstringere. Imponit verò in satyra hâc asino nomen *Brunelli*, à quo & hoc idem nomen, tanquam ab illius fabulæ persona præcipua, transiit in totum librum, ut is scilicet jam *Speculum Stultorum*, jam *Brunellus* passim appellaretur. Jam insigne Goulartii cerne sphalma. Putavit nempe, ut *Speculum Stultorum* poëmatis illius titulus est, sic *Brunellum* esse nomen Scriptoris, idem fortè, quod *Nigelli*, de quo multa egregia dixerat Flacius. Conf. *Jac. Thomasii* diss. Lips. 1679. habitam, de Nigello Wirekero, §. 18 sqq. Similis huic 3) ex asse est solœcismus, qui occurrit in *Georg. Matthiæ Königii* Bibliotheca Vet. & Nova, p. 744. *Memoratur in ista:* SEDVARDUS JCtus de Jurisprudentia commentatus, A. 1590. *Non verò alius is est, quàm Joachimi Hopperi,*

Frisii, ex Anteceſſore Lovanienſi, Protodicaſterii Mechlinenſis & ſupremi Senatus Belgici Aſſeſſoris, Sedvardus, *ſive* de vera Jurisprudentia *Commentarius, in memoriam* SEDVARDI, *filii ſui primogeniti, fato immaturo extincti, nomine illius proprio donatus, & Antwerpiæ, initio A. 1590. typis Plantinianis, in fol. excuſus, deinde verò A. 1656. Brunſvici, curante τῷ πάνυ Conringio, cum eximia illius de prudentia Nomothetica præfatione, recuſus*, prout notavit *Cl Jo. Mollerus*, in Homonymoſc. p. 12. 13. qui & præfatione Iſagoges ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbric. B. 5. pluribus de erratis literariis in Opere hoc Königiano commiſſis diſſerit, & vel aliquot illorum Centurias ſe dare poſſe inquit. Confer tamen ſimul *Jo Alb Fabricium*, in Decade Scriptorum recent. num. IX.

§. XXII. Succedat 4) *Bibliothecæ Geſnerianæ* Epitomator, *Joſias Simlerus*, quem *P. D. Huetius* de l'origin. des Romans, p. 173. ejusdem oſcitantiæ, ex malè intellecto titulo ortæ, arguit. Nominat ſcilicet Auctorem fabulæ Romanenſis, quæ *Amadis* inſcribitur, *Acuerdum Olivam*, dum p. 4. edit. Tigur de A. 1574. fol. ſcribit: *Acuerdus Oliva fabuloſam hiſtoriam Amadiſi primum belgica lingua conſcriptam, in hiſpanicam convertit, ſic ut non tantum interpretis officio functus ſit, ſed innumera adjecerit, & opus egregiè exornarit.* Verum non advertit voces has hiſpanicas *Acuerdo Olvido*, in titulo occurrentes, appellativa eſſe, & ſym-

& symbolum in se continere vel Auctoris, vel typographi; nihilque aliud velle, quam quod Galli dicunt: *souvenir, oubli*, & Latini: *reminisci, oblivisci. Il est surprenant*, scribit Marvillius l. c. p. 216. *de voir citer à des gens d'esprit* Acuerdus Oliva, *comme l'Auteur de l'Amadis, ou comme son traducteur, pendant que l'on sait, qu'* Acuerdus Oliva *n'est qu'un nom corrompu de deux mots Espagnols*, Acuerdo, Olvido, *c'est-à-dire* souvenir, oubli, *qui composent la Devise du Sieurs des Essars, laquelle se trouve a la tête de sa traduction Françoise de l'Amadis.* Addendus est 5) *Joh. Antonides von der Linden*, Enchusanus, Professor quondam Leidensis, cujus prostant de scriptis Medicis libri duo, aliquoties in Belgio publicati. Varia in iis sphalmata literaria dudum jam observavit *Voglerus*, Introd. Univ. in notit. bon. Script. Cap. VIII. p. 47. seqq. nimirum, quod Scriptores homonymos non distinxerit, ex uno scriptore duos quandoque fecerit, libros ineditos pro editis venditaverit, vera auctorum nomina corrupta dederit, debitam accurationem neglexerit, (cujus rei exemplum supra Observ. IV. § 3. p. 89. dedimus hoc, quod Catalogum Bibliothecæ Mediceæ, i. e. Florentinæ retulerit inter Scriptores Bibliothecarum Medicarum) & quæ sunt alia hujus commatis παραράματα; quibus sequentem addimus lapsum satis enormem. Prostant inter libros, qui Hermeti vulgo, sed perperam, adscribuntur, etiam *Kyranidum*,

Opuscula, sentinam aliquam exhibentia vanitatis medicamentorum magicæ. Ex Ægyptiaca lingva ista esse in græcam conversa, & inde in latinam transfusa, ac demum à Reinesio emaculatè edita, pluribus docet *Conringius*, de Hermetica Medicina, Libr. I. c. V. p. 52. 53. Sed ex his Pseudo-Hermetis *Kyranidibus* (quod ipsum libelli nomen est, originis Ægyptiacæ, ut vult Conringius) Lindanus noster loc. cit. p. m. 232. *Kyranum* quendam, Κύρανον, Persarum Regem imaginarium, tanquam libelli istius auctorem, ob lingvæ illius insciam exsculpsit. Habet tamen auctores multos *Lindanus*, quorum secutus est in lapsu hoc vestigia, inprimis Criticum illum magnum *Caspar Barthium*, quem fusius eapropter notat *Reinesius*, Variar. Lect. L. I. c. II. p. 6. 7. Memorabile quoque est 6) quod in *Severini Waltheri Sluteri* Propylæo historiæ Christianæ, p. 99. inter Scriptores historiæ ecclesiasticæ Silesiacæ citetur: *Fridericus Lucas* Schlesien / in der Chronic von Ober- und Nieder-Schlesien / *ed. Francof. an. 1689. in 4to.* Ubi non potest aliter Lector, quam auctorem quendam sibi concipere, cui nomen sit *Schlesien*. Verum dormitavit hic bonus Sluterus: siquidem vox ista ad titulum libri pertinet, qui sic plenè sonat: *Friderici Lucæ*, Schlesiens curieuse Denckwürdigkeiten / oder vollkommene Chronica von Ober- und Nieder-Schlesien. Auctor verò ejus est *Fridericus Lucas*, qui sub *Eichsternii* nomine alia etiam

etiam ad historiam Silesiæ pertinentia edidit. Vid. *Struvii* Biblioth Histor. Cap. XIX. p. 530. *Tentzelius*, in den Monathl. Unter. A. 1689. p. 564. Conf. den Ausf. Bericht von Neuen Büchern / p. 666. Nunc 7) *Joh. Ludov. Hannemanni*, Med. Doct. & Phil. Nat. Professoris Kilonienſis, ac Leopoldinæ Societatis Collegæ, ſolœciſmum, quem in tract. de Auro, p. 142. commiſit, verbis *Molleri* ex Homonymoſc. ejus, p. 11. dabimus. Is Eddam (*Librum Islandicum*, *Mythologiam gentium Borealium complexum*, *& à Snorrone Sturleſone, Islandiæ Nomophylace, A. C 1215 congeſtum*) *fœminam fuiſſe ſibi perſuadet, famam ſcriptis editis conſecutam, ac Philoſophis, quos Chymici jactant, Adeptis accenſere non dubitat. Verum*, pergit Mollerus, *ſolabitur ipſius, in conjectura hac, infelicitatem Viri ſummi*, Thomæ Bartholini, *circa librum eundem error, ſed aliquanto levior & venia, quoniam, ante iſtum à Pet. Reſenio A. 1665. editum, aliorum forte relatione infida deceptus, heic ceſpitavit, dignior.* Eddam *enim is A. 1645. in ſuis de Unicornu obſervationibus Cap. 34. p. 259. tanquam Hiſtoriæ Patriæ ſive Danicæ Conditorem allegavit, veriora A. 1646. ab affine ἱστοριωτάτῳ Olao Wormio, in epiſtola familiari* (quæ extat Centur. I. Epp. Med. Bartholini, num. 90. p. 376.) *edoctus.* Confer de Edda ejusdem *Molleri* Iſagogen ad Hiſt. Cimbr. Part. II. c. I. §. 4 p. 4. ſqq. & Addenda p. 215. 216. nec non Theatrum Anonymorum *Placcii*, num. 2768.

§. XXIII.

§. XXIII. Eidem oscitantiæ memorabili expositus fuit 8) *Anonymus* quidam, qui Veterum Indorum Brachmanum librum, in varias lingvas orientales & occidentales jam antea translatum, cui titulus *Kelile & Dimne* est, italicè edidit, Ferrariæ, apud Dominicum Mammerillum, An. 1584. in 8. Siquidem in prima libri facie ridiculum illud addidit: eum librum ex Indica in Agarenam lingvam à *Lelo Demno*, Saraceno, versum fuisse: cum tamen hæc verba non auctoris nomen, sed libri titulum conficiant, teste *Abrahamo Hinckelmanno*, in Bibloth. MSCta, Hamburgi 1695. in 4. edita num. 101. Nimirum, notante *Allatio*, de Simeonum scriptis, p. 183. 184. nomen illud libri, *Kelile & Dimne*, non intellexit interpres Italus, ac propterea illud obtruncatum *Lelum Demnum* ejus auctorem, & eum quidem Saracenum, efformavit. Agit alias hic liber de prudentia imperatoria, multisque fabulis dogmatibusque utilissimis scatet. Vide ejus historiam apud *Huëtium*, de origine fabul. Roman. edit. Lipsi. p. 21. sqq. & *Tentzelium* in den Monathl. Unterred. A. 1695. p. 689. 690. & 707. sqq. Conf. *M. Carol. Frid. Pezoldi*, diss. de oblivione memorabili, Lipsiæ 1703. editam, Cap. III. Segm. I. §. 2. Affine huic 9) est, quod nonnemo titulum Poëmatis à Gunthero, Poëta seculi XII. conflati, & *Liguri-nus* inscripti pro Auctore carminis istius habuerit. Vid *Struve*, Introd. p. 5. Vocavit nempe Gun-

Guntherus opus hoc *Ligurinum*, quia Imperatori Friderico Barbaroſſæ, cujus potiſſimum res geſtas ſibi ſumſit deſcribendas, belligerandum fuit cum Mediolanenſibus, quos, à vicino mari Liguſtico, Ligures appellat. Conf. *Voſſium*, de Poëtis Latinis, p. m. 73. *Sagittarium*, Introd. in Hiſt. Eccleſ. p. 629. & *Reimmannum* in der Einleitung in die Hiſt. Lit. derer Teutſchen / Part. I. p. 287. Sic & 10) exſibilandus prorſus eſt ſoloecismus, quem quidam Curiæ Romanæ Judex commiſit, dum *Codicem*, partem illam Juris Juſtinianei illuſtrem, hominem eſſe ſibi ineptè perſvaſit, dignum, qui ob falſum teſtimonium ad remos damnaretur. Non gravabimur audire rem narrantem *Marvillium*, Melang. Tom. II. p. 221. ubi ita: *Un Procureur défendant la cauſe d'un particulier devant M. Raggi, Auditeur de la Chambre Apoſtolique, cita* le Code, *& le donna pour garand du bon droit de ſa partie. L'Auditeur ordonna ſagement, que ce Code, qu'il prenoit pour un faux témoin, ſeroit ſommé de comparoitre, & commanda ſur l'heure aux Sbires de l'aller ſaiſir au corps chez l'Avocat, ou le Procureur diſoit, qu'il ſe trouvoit. Cette procédure de M. Raggi n'alloit pas moins, qu'a faire pendre ce miſérable Code, ou à l'envoïer aux Galéres. La Juſtice ſe transporta dans la maiſon de l'Avocat, & le Code fut mis entre les mains des Sbires, qui croïant, que c'étoit un Livre défendu, le porterent à l'Audience. Mais Monſ. l'Auditeur ſe voyant*

voyant trompé, demeura muet & froid comme une ſtatuë, & penſa perdre l'eſprit de dépit de ſe voir moqué de tout Rome & principalement du Pape Urbain VIII. qui ne pouvoit ſe laſſer d'en rire. In hunc porrò cenſum 11) veniunt, qui titulum tractatûs *de Urbibus*, quem *Stephanus Byzantinus* operi ſuo præfixit, pro cognomine Stephani habent. Quo de iterum *Marvillius* l. c. p. 212. ſcribit: *Pluſieurs ont crû, que* Urbibus *étoit le ſurnom d'Eſtienne de Bizanze, comme qui diroit* Eſtiennes des Villes: *au lieu que* de Urbibus *eſt le litre d'un livre de Geographie, compoſé par cet Eſtienne* Denique 12) huc referendus eſt *Auctor Catalogi Bibliothecæ Sluſianæ*, Romæ 1690. editi, qui p. 540. adducit *Guntheri Schwartzburgici*, Imperatorem Romanum Lipſ. 1677. impreſſum, argumentum libri cum auctore ejus turpiter confundens. Etenim titulus libri ita plenè ſonat: *Guntherus Schwarzburgicus, Imperator Romanus, diſcurſu hiſtorico breviter exhibitus ab Abaſv. Fritſchio, Lipſiæ, Jenæ & Rudolſtadii 1677.* Conf. *Tentzelii* Monathl. Unterr. 1698. p. 926.

§. XXIV. Sequitur alia Solœciſtarum Literariorum claſſis, illorum ſcilicet, qui vice verſa ex hominibus eorundemque nominibus & titulis, libros vel aliud, neſcio quid, exſculpſerunt. In horum cenſum 1) *Matthiam Waſmuthum*, Theologum primum Roſtochienſem, poſt Kilonienſem, quamvis diſſimulato ejus nomine, col-

collocat, *Jo. Eberhardus Eusmannus*, Philologus Helmstadiensis, in Corollario Exercitationis, de antiquis Hebræorum literis ab Esdra in Assyriacas mutatis, Helmst. 1675. editæ. Siquidem is Part. I. Vindic. Script. cap. I. p. 43. 44. S. Hieronymum contradictionis convicturus, quasi ם clausum, Es. IX. 6. in voce למרבה obvium μυστηριώδες esse agnoscat, qvum tamen Esaiam Samaritanis characteribus prophetiam suam exarasse, aliàs statuat, producit verba quædam ex Hieronymi libro de *sancta fide* contra Judæos. Verum isthæc Wasmuthi disputatio, præter ingentem, integræ annorum chiliadis, parachronismum, duplici laborat errore. *Primum enim*, Hieronymum Stridonensem, Ecclesiæ Patrem, *confundit cum* Hieronymo de Sancta Fide, *Judæo Seculi XV. ineuntis Hispano, ad religionem Christianam converso, & Benedicti XIII. Medico, quem ante conversionem* Jehosuam Lodicenum, *à suis vocatum esse perhibent. Hujus* Libros II. contra Judæorum perfidiam & Talmud *A. 1412. publicè, præsentibus cum Benedicto XIII. Cardinalibus, in Christianorum ac Judæorum cœtu, eo, ut fertur, successu prælectos, ut horum 5000. Christo nomen dederint; à R. Isaaco Nathane autem in* תוכחת מתעה i. e. redargutione seductoris *& Vidal Ben Lavi in* קדש קדשים i. e. sancto sanctorum, *impugnatos, ac (ut editiones, Tigurinam A. 1552. Francofurtensem A 1601.* Hebræo-Mastigis *insignem titulo, & Hamburgensem taceam)*

à Mar-

à Margarino Bignæo A. 1589, sed expunctis priùs, ut ipse fatetur, Judæorum blasphemiis. Tomo Biblioth. PP. Paris. secundæ, IV. insertos, in novissimæ autem Lugdunensis Tomo XXVI. recusos, Hieronymo Stridonensi, *Seculi IV Scriptori*, ἀτοπως *adscribit. Verum insuper Auctorem cum libro suo confundit, dum voces:* de Sancta Fide, *cognominis loco ab illo adscitas, titulum libri esse, pari* ἀβλεψία *sibi persvadet*, ut pluribus monuit *Jo. Molterus*, in Homonymosc. p. 577 sq. Et quid 2) de *Jac. Fridr. Reimmanno* dicemus, sedulo quidem solœcismorum literariorum observatore, sed qui sibi ipsi ab iisdem cavere non potuit. Indicem sphalmatum ab illo in tentamine Introductionis in Hist. Lit. circa Scriptorum nomina, librorumque editionis loca, formas ac tempora commissorum sistit, epistola *Jo. Molleri* apologetica, quæ inserta est dem Ausführl. Bericht/ p. 701. sqq. unde unicum tantum excerpemus errorem, ad hanc nostram solœcismorum classem pertinentem. Scilicet exhibet *Reimmannus* p. 183. Introd. varia Eruditorum exempla, qui multum temporis conficiendis scriptis suis impenderunt, & inter alia refert: *Jac. Sannazarium*, in scribendo suo *Parthenopæo* XX. annos consumsisse. Ubi existimare proclive est, Sannazarium librum quendam *Parthenopæi* titulo edidisse, quod tamen oppido falsum. Siquidem Sannazarius poëma aliquod, in tres libros distributum, multa cura elaboravit, quod *de partu*

Vir-

Virginis inscripsit. Patriam verò Auctoris, qua *Parthenopæus*, seu Neapolitanus fuit, perperam pro operis titulo habuit Reimmannus. Amplius 3) *Theophilum Spitzelium* volumus, Virum rei literariæ aliàs peritissimum, qui tamen lapsum insignem evitare haud potuit. Scripserat *Thomas Erpenius*, Orat. 2. de lingva Arabica, p. 64. hodie quoque per Asiam, cumprimis per Africam, non uno loco locupletissimas reperiri Bibliothecas. *Perhibent*, inquit, *testes oculati, in una Bibliotheca Fessana triginta duo reperiri diversorum librorum millia. Scripsit quoque Constantinopoli* D. Hagha, *illustrissimorum Ordinum nostrorum apud Imperatorem Turcicum Legatus, duas esse ibidem Bibliothecas Arabicas, quarum singulæ æstimantur centum ducatorum millibus.* Conf. *Conringius*, de Biblioth. Augustan. p. m. 212. Hæc Erpenii verba affert *Spitzelius*, dissertat. præliminari, sacris Bibliothecarum arcanis præmissa, §. 4. (p. m. 144. collect. Schmidtianæ) ita tamen, ut ex nomine Legati illius *Hagha*, nomen loci *Hagam Comitum* formaverit. Ita enim habet: *Quid quod, teste Erpenio, quondam Constantinopoli Illustriss. Ordd. Belgg. apud Imp. Turcicum Legatus*, Hagam *scripserit, duas esse ibidem Bibliothecas Arabicas. &c.* Nescio denique, annon 4) huc etiam spectet insignis *Sixtini ab Amama* ἀδελφία, qua *Rinthelium*, Academiam Westphaliæ, in Comitatu Schauenburgico ad Visurgim sitam, à Principe Scaumburgico *in Holsatia*

Musis consecratum & in bonarum artium domicilium dedicatum esse scribit, Orat. Academ. de barbarie morum, quæ præmissa est ejus Anti-Barbaro Biblico, plag. i. 3. Scilicet decepit eum titulus & Principis fundatoris, & ipsius Academiæ. Siquidem fundata est Academia A. 1621. ab *Ernesto*, *Principe Holsatiæ*, *lineæ Schaumburgicæ*, à quo etiam dicta est *Erneſtina*, item *Holsato-Schaumburgica*. Vid. *Henr. Ern. Kestneri*, Rinthelium crescens & decrescens 1703. in 4.

§. XXV. Amplissimus jam sese nobis offert, de solœcismis circa ipsos Auctores eorundemque nomina, patrias, religiones & his similia commissis, differendi campus. Et quod lapsus quidem circa nomina Auctorum attinet, tam fertilis illorum est seges, ut peculiaris *de Anabaptismo Literario* tractatus, isque satis prolixus, conscribi posset. Eo etiam tendit *Joh. Molleri* eruditissimus tractatus, sed, quod dolendum, indice convenienti destitutus, quem *Homonymoscopiam* inscripsit, & Hamburg. 1697. in 8. publici juris fecit, quo plurima Veterum pariter ac Recentiorum παραφάματα, in confusione Scriptorum Homonymorum conspicienda detexit, & obelo notavit. Verum cum non liber sit scribendus, sed observatio, paucarum plagularum cancellis circumscripta, quædam tantum, eaque notabiliora ex hoc solœcismorum genere delibabimus. Sic notum est 1) ex non intellecto Melanchtonis nomine, Locos ejus communes, qui

qui in Italia primum prohibiti erant & damnati, magno tamen cum applausu postea Venetiis exceptos & distractos subito fuisse, cum sub nomine *Philippi de Terra Nera* iterum excuderentur, usque dum aliquis linguæ græcæ gnarus, (juxta quam nomen Μελαγγαῖ idem est, quod Germanorum Schwartz-Erd / quomodo Philippus noster vocabatur, sed pro consvetudine ejus ævi cognomen germanicum in græcum commutaverat. vid. die Außerl. Anmerck. Tom. IV. p 362.) fraudem detegeret. *Ceux qui achetérent cette edition avec tant d'empressement, ne prirent pas garde, que ces noms ne différent, qu'en ce que l'un est Grec & l'autre Italien*, scribit *Mr. Bernard*, Nouvelles de la Rep. des Lettr. A 1710. mois de Juin, p. 689. Pariter 2) circa Eusebii Cæsarienſis cognomen, quo *Pamphili* vulgo dictus est, oscitavit *Eutychius*, Eusebium vocans Episcopum *Phili*, urbis vel Episcopatus cujusdam, ignorans eundem nomen hoc sibi ob amicitiam cum Pamphilo Martyre cultam adsciviſſe, notatus *à Marvillio* l. c p. 212. Conf. *Joh. Christoph. Erneſti*, diſſ. I. de Eusebio Pamphili, Episcopo Cæsarienſi, Witteb. 1703. recusa, §. 4. Sed & 3) lepidum cape magni *Erasmi* soloecismum, quem ex Majoragii orationibus exhibet *Colomesius*, in Opusc. p. m. 88. 89. Cum *Primus Comes*, Majoragii consobrinus, Erasmo adventum suam nunciasset literis, quibus nomen suum ita subscripserat: *Tui studioſiſſi-*

mus, *Primus Comes*, *Mediolanenſis*, credidit Eraſmus ſtatim, magnum adeſſe aliquem Principem ſui viſendi gratia; quare illi, licet admodum ſenex & infirmus, obviam proceſſit. Sed poſtquam homunculum unum, nullo comitatu, nullo ſervorum grege ſtipatum, & benè quidem literatum, ſed nullo elegantiori cultu veſtitum reperit, errorem ſuum jucundiſſimè ridere cœpit, & tamen eum ſibi multò gratiorem advenisſe, quam ſi magnus Princeps fuiſſet, multis audientibus, teſtatus eſt. Vid. *Vincent. Paravicinus*, in ſingularibus de Viris erudit. claris, p. 69. 70. Taceo 4) ſphalma ridiculum, quod *G. Deſnoues*, Anatom. & Chirurg. Profeſſor Bononienſis admiſit, dum Antliæ Pneumaticæ, machinæ illius ſeculi noſtri curioſiſſimæ, inventorem *Mr. Magdebourg* appellat, qui tamen eſt *Otto Guerike*, Conſul Magdeburgenſis. Conf den Ausführl. Bericht von N. B. p. 667. Salsè nuper in Solœciſmum hunc ludebat, Vir Cl. *Mart. Sylveſter Grabe*, Conſiliarius, Archiater & Bibliothecarius Regius, hæc mihi ſcribens:

Urbibus ut nomen claris imponitur Orbis,
*Sic dat des-*Noüez *nomen ab urbe Viro.*
Gordius hic nodus, *quem nulla ſynechdoche ſolvit,*
Partem totius nomen habere jubens.
Et natale ſolum, quâ nos dulcedine ducat,
Non vult participes nominis eſſe ſui.

Adjicimus tantum duos adhuc enormes, circa Auctorum religiones ab Eruditis commiſſos lapſus.

lapsus. Ita 5) *in Glossa* X. c 2. de concess. præb. *Justinianus Imperator*, (cujus orthodoxiam *Schurzfleischius*, pecul. dissertatione, in operibus historico-polit. num. XLIII. extante, vindicavit) *Gentilis* nuncupatur, & leges ejus, *Ethnicorum leges* errore immani appellantur, prout notavit D. *Jo. Gottlieb Olearius*, dissert. Regiom. 1713. hab. de utilitate & necessitate rei literariæ in Jurisprudentia, §. VIII. nota ***, ubi & alios quosdam JCtorum solœcismos indicat. Quomodo & 6) *G. M Königius*, in Biblioth. p. 137. *Thomam Browne*, Medicum Anglum, famigeratissimum illum libelli, *Religio Medici* inscripti, scriptorem, Sectæ Brouniſtarum in Anglia auctorem perperam appellat, quæ tamen diu ante *à Roberto Browne*, Verbi Ministro Islingtoni prope Londinum, nomen accepit. Vid. *Hoornbeek*, in Summa Conrroverſ. Libr. X. p. m. 739.

§. XXVI. Supereſt, ut παραράματα quædam Virorum doctorum circa ipsos libros eorumque titulos commissa, in medium proferamus. Mittimus verò leviora, quorum tantus est numerus, quantus muscarum cum calet maximè, & insigniora tantum memorabimus. Sic 1) ex hoc perperam intellectorum titulorum fonte derivandus est error *Joh. Mich Wanslebii*, Ordinis Dominican. Monachi, quando *Liturgiam Christi*, quam æthiopica lingva primus in Europam attulit, ita vocari autumat, quod Christus

illius auctor ab Abyssinis habitus sit, cum tamen sic appelletur, quia sigillatim in ejus honorem fuit destinata: quomodo & Liturgiæ, quæ sub Mariæ, Petri, Matthæi, Jacobi, Johannis, Marci & aliorum Apostolorum nomine prostant, ita dictæ sunt, non quasi ab illis compositæ sint, sed quod vel in illorum festis recitarentur, vel alioqui in eorum, quorum nomen præ se ferunt, honorem fuerint denominatæ. Vid. *Job. Ludolfus*, Comment. ad Hist. Æthiopic. p. 346. *Thom. Ittigius*, Dissert. de Pseudepigraphis Christi & Apostolorum, Cap. XIII. §. I. p. 222. heptadis dissert. & *Jo. Alb. Fabricius*, in Codice Apocrypho N. T. p. 314. Porro 2) in eosdem erroris scopulos impegit *Vincentius Placcius*, tract. de Anonymis & Pseudonymis, cap. XIV. p. 111. dum Francisci Garassi, Jesuitæ Galli scriptum, quod sub titulo: *Rabelais Reformé* edidit, quove Petrum Molinæum, Theologum Reformatum, cum scriptore satyrico Francisco Rabelais comparavit, existimat nihil aliud esse, quam Operum Rabelesii, ab obscœnis & scandalosis, repurgationem & reformationem à Garasso susceptam; in quo tamen erroris eum arguit *Mr. Bayle* dans son Dictionaire, Tom. I. p. m. 1218. scribens: *Monsr. Placcius s'imagine, que Garasse fit son* Rabelais Reformé *à l'egard de Rabelais, ce que plusieurs ont pratiqué envers Martial & Catulle, qu'ils ont donnez au public apres avoir retranché toutes les paroles sales.* Les Oeuvres de Rabelais, *dit il*, utut jucunda

cunda, sic obscœnis aliisque scandalosis plena castigata immo castrata, titulo *Rabelæsii Reformati*, Pictavii & Bruxellis 1620. in 8. nomine reformantis *Francisci Garassi*, scriptis aliis notissimi Jesuitæ Galli, non adjecto prodiere, docente Alegambe, p. 124. *La verité est*, pergit Bælius, *que le Rabelais reformé du P. Garasse est un livre de Controverse, où il parle satiriquement de plusieurs Ministres, & sur tout de Pierre du Moulin, qu'il accuse d'etre imitateur de Rabalais, & un Rabelais resuscité. Voyez à quoi on s'expose, quand on parle d un livre sans en rien connoitre que le titre.* Confer novam Theatri Placciani editionem, num. 2597. p. 639. ubi error iste correctus cernitur. Parem in modum 3) peccavit Scriptor quidam Bibliothecarius, de quo *Marville* Tom. I. Miscell. p. 119. hæc habet: *Nous avons vû l'un de Bibliotéquaires peu exact, quoique d'ailleurs bon Libraire, ranger dans la classe des RITUELS, un Traité* de Missis Dominicis; *c'est-à-dire, un livre, où il est traité des* Ambassadeurs, *ou des* Envoyez *des Princes, pour un Recuëil de* Messes Dominicales. Similis quoque circa titulum oscitantia 4) *Joh. Henr. Heideggerum* induxit, ut in Enchiridio suo Biblico, p. m. 520. *Schmidium* quendam, Theologum Lutheranum, inter Commentatores, qui librum Sapientiæ illustrarunt, retulerit. *Sed*, ut verbis *Thomæ Crenii* loquar, Animadv. Part. 2. p. 106. *vix credo ullum Schmidium Lutheranum, sive*

vocetur Erasmus, sive Johannes, sive Casparus, sive Sebastianus, in Sapientiæ Librum scripsisse. Scio equidem Dn. D. Joh. Schmidium, *Theologum Argentoratensem edidisse librum, cui titulum* Christianæ Sapientiæ *fecit; at ibi non explicat librum Sapientiæ, sed locum è Deuter. XXXII. 29. in LV. concionibus, Argent. 1635. in 4.* Hæc *Crenius* loc. cit. qui & ibidem, à p. 101. usque 110. plura Heideggeri sphalmata extantiora notat & corrigit. Sic & 5) Cl. Vir *Burc. Goth Struve* lapsus est, quando in Biblioth. Juris, p. 9. inter Biographos Veterum JCtorum citat *Ge. Casp. Kirchmeieri Elogia & elegantias Latinorum JCtorum Veterum, ad ff. Witteb. 1687. 4.* cum Kirchmeierus scripserit: *Elogia & elegantias latinitatis JCtorum veterum, ad ff. Witteb. 1682. 4* quibus non de elogiis JCtorum egit, sed de illorum latinitate judicavit. Vid. *Jo. Gotl. Olearius*, de Biographis antiq. JCtorum, §. 15. In ejusdem Bibliothecæ editione priori perperam existimat Struvius *Schiffordegherum* contra Antonium Fabrum scripsisse; cum, ut titulus habet, *ad* Fabrum commentatus fuerit, eundemque contra aliorum insultus defenderit. Conf. *Gundlingii* Otia, Part. I. p. 227. Quis verò 6) non rideat simplicitatem nonnemînis, quam his verbis exhibet *Reimmannus*, Introduct. gener. in H. L. p. 141. Ein gewisser guter Mann bildete sich ein / des *Joh. Henrici Ottonis* Historia Doctorum Misnicorum (Oxon. 1673. in 12. & Amstel. 1699. in 8. pu-

publicata) darinnen die Auctores insonderheit recensirt werden / die zu der Mischna Talmudica ihr quantum mit beygetragen haben / das sey eine Nachricht von denen Prædigern in Meissen / und würde also sein Groß-Vater / der weyland Pastor auff einem Dorffe nicht weit von Wurtzen gewesen / nothwendig auch darinnen mit benennet seyn. Ipse tandem ego 7) dum in alma Rosarum versarer, hominem quendam novi, qui Collegium MSCtum D. Joh Fechtii, quod in usum juventutis Academicæ, ut historiam pacis religiosæ sæpius tentatæ inde disceret, prælegerat & *Irenicum* appellaverat, pro Lectionibus seu Commentario in *Irenæum*, Ecclesiæ Patrem, habuit. Spectatum admissi risum teneatis amici!

§. XXVII. Quodsi animus esset, ulterius exspatiari, & lapsus Eruditorum circa librorum editiones conquirere, Augiæ stabulum profecto foret repurgandum, quandoquidem vix ullum reperias librum ad rem librariam pertinentem, in quo non peccata hujusmodi sint conspicienda. Liceat tamen unum alterumve solœcismum graviorem, circa editionis librorum loca ac tempora commissum, adponere. Haud ita pridem est, cùm in quodam Catalogo librorum, auctionis lege divendendorum, legerem *Joh. Calvini* Commentarium in omnes Epistolas Pauli, *Olivæ* A. 1556. in fol. impressum esse. Mirabar primùm, qui factum, ut liber prohibitus alias inter Pontificios in Monasterio Papali fuerit excusus.

Mox tamen sphalma suspicabar, cum rescirem, typographiam in Monasterio Olivensi prope Gedanum sito, multo recentiorem esse, quàm ut ad ista tempora sese porrigeret. Lustranti denique ipsum librum, statim sese solœcismus offerebat. Siquidem titulo libri impressum videbam signum typographicum officinæ Stephani, cui, in eadem paginæ loco, quo alias locus impressionis exstare solet, subscripta erant verba: *Oliva Roberti Stephani.* M. D. LVI. quæ non intelligens Catalogi Scriptor, locum impressionis sibi inde finxit. Nec reticendus mihi videtur solœcismus, qui in libris vetustis, sub incunabula typographiæ impressis, conspicitur à Typographis rudioribus commissus. Scilicet quando illi in vetus aliquod inciderunt MSCtum, cujus fini pro more seculi Scriba subscripserat, finitum illud esse describendo hoc vel illo anno & die; Typographi clausulam illam, prout eandem in MSCto repererant, æquè imprimebant, atque sic æquivocationis ansam subministrabant, ut lectores incauti annum sub finem libri additum, impressionis annum esse reputarent. Insigne hujus impostura exemplum exhibet liber vetustus, in Bibliotheca Regia arcis Regiomontanæ extans, sub titulo: *Johannis de Tambaco, de consolatione Theologiæ.* In hujus fine hæc leguntur verba: *Explicit liber de consolatione Theologiæ per fratrem Johannem de Tambaco, Ordinis Prædicatorum, provinciæ Theutoniæ, sacræ Theologiæ Professorem con-*

consummatus, Anno Domini Mo. CCCo. LXVIo. in die Ambrosii. Quæ verba cave de anno impressionis intellexeris, cùm divinum typographiæ inventum vel integro post seculo demum fuerit excogitatum; quare de tempore, quo describendo finitus est Codex, sine dubio sunt interpretanda. Persvasissimus quoque sum pari solœcismo literario alios etiam hujusmodi laborare libros, qui antiquitatem impressionis mentiuntur, & annum præferunt, anno 1450. antiquiorem: cujusmodi varii in Bibliotheca Regiomontana extant, v. gr. *Leonhardi de Vtino* sermones, anno, ut clausula addita habet, M. CCCC. XLVI. in fol. impressi: item famigeratissimus ille Bibliorum Germanicorum Codex Augustanus, qui A. 1449. excusus vulgo dicitur; quod tamen falsum esse demonstrarunt, *M. Georg. Fridr. Magnus*, dissert. de antiquis S. Scripturæ versionibus germanicis Augustæ excusis, August. 1690. 4. *Tentzelius*, in den Monathl. Unterred. 1692. p. 681. sqq. & 1693. p. 671. sqq. & *Jo. Fr. Mayerus*, dissert. de versionibus Scripturæ S. ante Lutheri translationem impressis, §. 3. quæ extat in ejus Historia versionis germanicæ Bibliorum Lutheri, p. 186.

§. XXVIII. Atque hæc quidem Solœcismorum literariorum exempla à nobis adducta sufficere possunt, ut ex illis, quam lubrica quamve salebrosa historiæ literariæ cultoribus calcanda sit via, demonstremus; plura forsan alio tempore suppeditabimus. De *Thoma Reinesio* vulgo referunt,

runt, eundem à cachinno sibi temperare non potuisse, quando inter legendum in enormem Auctoris cujusdam lapsum incidisset. Vide die Monathl. Unterred. 1689. p. 897. Rideat, qui velit, hos recensitos Eruditorum errores, sed recordetur simul, errare humanum esse, & caveat, ne ipse turpiorem committat lapsum. Quod superest, addam hic in mei defensionem verba magni *Scaligeri* è Prolegomenis ejus super Eusebium, p. 4. ubi ita: *Quum tria objici possint, παραδόξωματα, σφάλματα καὶ παρεγχειρήματα, hallucinationes, errores, & temerationes sive interpolationes, sciant omnes, quum aliquem hallucinatum esse dicimus, hoc ad ullam ejus contumeliam minimè pertinere. Hallucinationes enim per incogitantiam, errores per insciitiam, reliqua per audaciam committuntur. Hallucinationes excusari debent, errores tolli, temerationes castigari, eo temperamento adhibito, ut contumeliæ suspicio omnis abśit* Concludo denique dictis *Marvillii*, Melanges, Tom. II. p. 205. scribentis: *Le dessein de faire remarquer les bévûës qui sont échapées aux Savans, est hardi; mais il a son utilité; & quand on ne feroit qu' apprendre par ces sortes d' exemples, à ne s' en pas faire accroire, quelqu' habile qu' on soit, ce seroit toujours beaucoup Plusieurs entêtez d eux-mêmes, & méprisant ou négligeant le conseil d' autrui, ont fait des chûtes lourdes & honteuses. C est pour ma propre instruction que je parle de ces choses, & non pour insulter à ceux, qui sont tombez, que je respecte & honore comme mes Maîtres.* Ad-

Addenda & Emendanda.

Ad Observat. I.

Ad §. 6. p. 8. Similis ferè exorcismus præmissus cernitur Bibliothecæ Photii, è græco latinè ab *Andrea Schotto* Augustæ Vindel. A. 1606. fol. editæ, facie post titulum versa:

Bonum Factum.
Rogat Photius, qui jam prodit integer,
Ne quis se posthac lacinet amplius,
Laceret, aut vellicet in partes, aut epitomen
concinnet hinc, omnium ingratius.
Qui fraudi damnoq; foret,
sibi, Lectori, Posteris.
Compendia namq; dispendia sunt verius,
Librorum pestis, labes, pernicies,
& tetra Auctorum vulnera.
Sic bonis bona eveniant,
Qui secus faxit exlex vivito,
si quid hic præter Majorum dictum fidem,
quod imprudenti excidit,
factum nollem, indictumque videri volo.
Have & Fave.

Ad Observat. II.

Ad §. 8. p. 23, in linea 13. pro *Frisiæ Orientalis,* lege *Frisiæ Occidentalis.*

Ad §. 16. p. 43. lin. 13. pro *decrero,* legas *decreto.*

Ad

Ad §. 18. p. 49. De Cometis & eorum significatu egrègiè vide dissertentem *Casp. Neumannum*, in den gesammleten Früchten von mancherley Art/ Vratisl. A. 1707. 4 Num. I. qui tertiæ sententiæ à nobis commemoratæ accedit. Peculiarem Joh. Bodini de Cometis sententiam, quâ putat illas Heroum esse animas, notat cum Vossio *Crenius*, Animadvers. Part. II. p. 175.

Ad Observat. III.

Ad § 18. p. 74 De exquirendo amicorum judicio in divulgendis libris egregia extat *Pagan. Gaudentii* dissertatio, quæ sexta est, in ejus Obstetrice Literaria, per *G. Nic. Kriegk*, Jenæ 1704. 12. editâ.

Ad Observat. IV.

Ad p. 91. Descripsit hunc Holstenii Catalogum Bibliothecæ Mediceæ M. Fridr. Besselius, cujus Observ. VI. p. 155. mentio facta.

Ad p. 93. lin. 15. pro *itaquo*, lege *itaque*.

Ad Observat. V.

Ad §. 3. p. 117. Aristotelem se præcipitem in mare dedisse, vel ad minimum summa desperatione abreptum, vitam finivisse miserrimam, etiam defendere sustinet *Observator Halensis*, Tom. VIII. Observ. X. §. 17. p. 247. ubi & aliorum de morte Aristotelis sententias vide adductas. Ex Gallis *Bohursius* eandem recoxit, de mor-

morte Aristotelis in undis, sententiam, dans ses Entretiens d'Ariste & d'Eugene, Dial. I. p. m. 14. 15. quem notavit Auctor des sentimens de Cleante sur les Entretiens d'Ariste &c. Lettr. 5. Conf. *P. Ren. Rapinus*, Comparat. Plat. & Arist. c. 4. p. m. 310 & *Bælius* Diction. voce *Aristote*.

AD OBSEVAT. VI.

Ad p. 141. lin. 15. pro *exhibita*, lege *exhibitus*.

Ad §. 8. pag. 152. Verum Auctorem Miscellaneorum Historico-Literar. quæ sub *Marvillii* nomine prodierunt, nobis demum nominavit Auctor notarum ad *Petr. Bælii* Epistolas, gallicè nuper Roterod. 1714. 8. editas, Tom. II. p. 666. qui ita: Mr. le du Chat *nous apprend, à la page 223. du Tome III. de son Commentaire sur les Oeuvres de Rabelais, que l'Auteur, qui s'est caché sous le nom de* Vigneul-Marville, *est* Dom Bonaventure d'Argonne, *Prieur de la Chartreuse de Gaillon.* Vide etiam ipsas Bælii Epistolas, l. c. p. 708. ubi optimè de iisdem judicatur.

Ad pag. 161. De Auctore Euremonianorum ita scribit *Mr. Bayle*, loc. cit. Tom. III. p. 869. *Pour l'Auteur du* St. Evremoniana, *je ne le connois pas certainement. J'ai oui dire qu'on le croit le même* Mr. Cotolandi, *qui a critiqué les Oeuvres de Mr. de St. Evremond. &c.*

Ad pag 165. Menagianorum Auctor inter alios fuit Abbas du Bos, ut testatur *Bayle* dans ses Lettres, p 521. qui & p. 424 & 708. non adeò benè de collectione hac judicat.

Ad

Ad p. 170. Quæ de morte Domini de Sallo è Miscellaneis Marvillii adduximus, ea falsa esse vel è sequentibus *Bælii* verbis, in Epistolis ejus, Tom. III. p. 854. extantibus, patet. *Je sçai que Mr Sallo cessa de travailler, vers le mois d'Avril 1665; & j'ai lu dans le* Moreri, *qu'il mourut l'An. 1669. Voila donc les Faits discordans.* (Refert enim Marvillius, eundem A. 1665. ex mœrore obiisse) *Personne n'est aussi propre que vous, Monsieur* (Marais) *à déterrer si cet illustre Conseiller au Parlement mourut, en 1665, de chagrin d'avoir joüé tout son Bien. Cela seroit desavantageux à sa Mémoire; & il seroit bon d'arrêter la Propagation d'un tel Bruit; car si on ne le réfute, on le trouvera bientot dans plus de six ou sept Livres, & puis dans vint, & puis dans trente.*

Ad pag. 173 post num. XXXVII. Ex incuria Amanuensis prætermissa sunt SELDENIANA, de quibus vide *Wolffium*, præfat. ad Casaubon. p. 18.

Ad pag. 173. num. XXXVIII. Sorberiana vide dijudicata à *Mr. Bayle*, loc. cit. Tom. II p 425.

Ad pag. 176. num. XLIV. Ad manus nobis est ἀντόγραφον *D. Johannis Wigandi*, quo de Claris Viris Theologicis, qui in Ecclesia Evangelica circa Reformationis tempora vixerunt, accuratè commentatus est. Occurrunt hic multæ Theologorum vitæ hactenus ineditæ, & in iis, quæ editæ sunt, multa de Eruditis singularia, ab Adamo & aliis Biographis non animadversa. Excerpemus forsan ista aliquando, & sub *Wigandianorum* titulo publicæ luci donabimus.

Ad Observat. VII.

Ad §. 1. p. 179. lin. 19. pro *quæ*, lege *quem*.

Ad pag. 178. lin. 10. pro *reseratæ*, lege *obseratæ*.

Ad pag. 185. lin. 10. pro *reseratos*, lege *obseratos*.

Ad pag. 197. lin. 20 sq. Diximus, non facile, vivente adhuc possessore, Catalogum Bibliothecæ ejus privatæ impressum prodire. Non possumus tamen, quin hâc occasione utilissimum commemoremus institutũ, quod meditatur Vir Summe Rev. *D. Joh. Fabricius*, Theol. Helmstad famigeratissimus: idque verbis ejus propriis, excerptis ex literis ejusdem ad Dn. D. Mart. Sylv. Grabium, Helmst. 16. April. 1714. datis, ubi ita: *Versor in recensione librorum meorum, ita ut eorum contenta, varias editiones, augmenta, compendia, scripta adversaria iisq; oppositas Apologias, Auctorum vitas, atq; Eruditorum de illis judicia aliaq; ad rem literariam pertinentia, quæq; multorum annorum studio collegi, indicem atq; exponam, hoc ipso id præstans, quod Cl. Morhosius à quodam fieri optavit in Polyhistore: quanquam ego prius, quam id apud illum legissem, operi huic mentem manumq; admovi. Nam in crepusculo quodam vespertino deambulans aliquando in Museo meo Altorfino, librosq; intuens, deveni in hanc cogitationem, melius esse, si scirem exactius, quid illi*

contingerent, nec meliorem forte dari viam, quam si materiam hanc tractarem in Collegio quodam privato. Atque tunc statim bono cum DEO opus adgressus sum, jamque absolvissem totum, si plurium Studiosorum major esset ardor proficiendi & gratitudo. Nam pro tali 6. 7. aut 8. mensium exercitio, quod tam multo constat labore ac sudore, vix tandem solvuntur 8. taleri, reliqui autem omnes sunt socii ingrati. Sic contigit, ut hactenus ultra libros in fol. & 4. majori, non potuerim progredi. Solus igitur, & sine admissione Auditorum prosequar hoc cœptum, si DEUS volet; sed an perfecturus sim, nescio.

Reliqua Errata inter festinandum forte commissa Lector benivolus ipse facile corriget: quamvis exiguum illorum fore numerum persvasissimus sim.

IN-

INDEX AUCTORUM ET RERUM.

A.

Actionum humanarum moralitas unde dependeat, p. 280. sq.
Adam an bruta animantia in matrimonii societatem evocaverit? p. 265. sqq.
- - - an nomina dederit brutis animantibus? p. 261. sqq. & quidem singulis eorum individuis, p. 306. sq.
- - - nomina imponendo singulare sapientiæ specimen edidit, p 297. 313.
Adjurationes variæ Veteribus usitatæ, p. 2. sqq. earum in re literaria usus & diversitas, p. 5. sqq.
Agricola Medicus, disputator immoderatus, p. 60.
- - - Rudolph. Eruditus sine moribus, p. 63.
Alchemistæ arcana sua occultant, p. 12.
Alcoranus pro homine habitus, p. 357.
Altorfina Academia pro homine reputata, p. 336.
Amadisi, fabulæ Romanensis, Auctor fictitius, p. 362.
Amamæ Sixt. solœcismus literarius, p. 371.
Ambrosius ob modestiam laudatus, p. 74.
Ana, terminationis hujus origo & primus inventor, p. 149.
- - de terminatione hac judicium, p. 147. sqq.

in *Ana* librorum historia, p. 142. sqq.
- - - libri quid? p. 142.
- - - librorum contemtus unde ortus, p. 152.
- - - libri dijudicantur, p. 177.
Anabaptismus literarius quid? p. 372.
Ancillonii Carol. solœcismi liter. p. 340.
Angelotius, Angel. graculus, p. 65.
Animantia cur ab Adamo nominibus fuerint insignita? p. 293. sq.
- - - quomodo ad Adamum fuerint adducta? p. 302. sqq.
Animantium nomina hodierna an naturas eorum exprimant? p. 309. sqq.
Anonymiana, p. 153.
Aquini, Medici Galli, solœcismus liter. p. 349.
Arcanorum publicatio exorcismo prohibita, p. 11.
Aristoteles à quibus sit defensus ob crimina intentata? p. 114.
- - - à crimine autocheiriæ absolutus, p. 113. sqq.
- - - an veneno hausto obierit? p. 115.
- - - an in Euripum se præcipitem dederit? p. 117. sqq. & p. 384.
- - - naturali morte decessit, p. 118.
- - - laudatur à pietate, p. 120. 121.
- - - causam fluxus & refluxus aquarum non ignorat, p. 134.
- - - Eruditus modestus, p. 137.
- - - libros Philosophorum Veterum comburit, p. 199.

Arle-

Arlequiniana, p. 154.
Arnaldus Anton. animal disputax, p. 69.
Articuli Smalcaldici pro homine ejus nominis habiti, p. 334. Solœcismus grammaticus, qui in eorum versione latinâ occurrit, p. 318.
Circa *Auctores* solœcismi literarii commissi, p. 372.
Augustinus ob modestiam laudatus, p. 80.
d'Avila, Gilius Gonzal. singul. p. 221.
Azo, JCtus, disputator immoderatus, p. 60.

B.

Baluziana, p. 154.
Barlæus, Autocheir, p. 81.
Baronii, Cæs. lapsus liter. p. 358.
Barthii, Casp. solœcismus liter. p. 364.
Bartholinus, Thom. notatus, p. 365.
Bartoloccii, Jul. sphalma liter. p. 34.
Barvoetius, Alex. sing. p. 197.
Basnagii, Jac. solœcismi liter. p. 342.
Baudius, Dom. scurra, p. 73.
Bekker, Balth. Historia vitæ ejus minus accuratè hactenus tradita, & ejus rei causæ, p. 18. sqq. Vita ejus, scripta & controversiæ, ab ejus nativitate usque ad ortam circa mundum fascinatum controversiam, exhibentur, p. 21. sqq. Dogmata ejus singularia, p. 24. 40. 46. sqq.
Belgæ idiomate domestico controversias sacras tractant, & quare? p. 19.

Besseliana, p. 155.
Beverlandi, Hadr. Exorcismus liter., p. 15.
Biblia Germanica Augustana vetustatem impressionis mentiuntur, p. 381.
Bibliothecæ, Bodlejana, Windhagiana, Angelica & Vaticana exorcismo literario munitæ, p. 14. 15.
- - - Mediceæ, quæ Florentiis est, historia, p. 85. sqq. De Catalogis MSCtorum hujus Bibliothecæ à variis editis, p. 89. sqq. Holstenii Catalogus ex MSCto editus, p. 91. sqq.
- - - Ambrosianæ Mediolanensis laus, p. 181.
- - - Scorialensis & Vaticanæ occultatio, p. 183.
- - - Gallorum & Anglorum sunt patulæ, p. 181.
- - - Monasteriorum Germaniæ sunt occlusæ, p. 184.
- - - & publicæ & privatæ debent esse patulæ, p. 179. sqq. sed plerumque sunt obseratæ, p. 183. 185. 186.
- - - locum conventibus Eruditorum quondam dedêre, p. 181.
- - - quomodo à lacunis præservandæ, p. 189
Bibliotaphi quinam sint? p. 187. eorum variæ classes, p. 190. sqq. illorum prætextus, quibus vitium animi excusant, p. 188. 223. sq.

Biblio-

Bibliotaphia unde oriatur? p. 187.
- - - pluribus notatur, p. 214 sqq. 217. sqq.
- - - excusabilis & laudabilis, p. 209. 211.
Bignoniana, p. 155.
Boineburgiana, p. 155.
Bongarsii Epistolarum interpres Gallus solœcizat, p. 336.
Borboniana, p. 155.
Bourdelotiana, p. 155.
Brummeriana, p. 156.
Browne, Thomas, confunditur cum Roberto, p. 375.
Burmanniana, p. 157.

C.

Cabbala pro homine habita, p. 355.
Cagnolus Abbas, Thraso literarius, p. 72.
Calviniana, p. 158.
Calvisius, Sethus honores amplos respuit, p. 81.
Camero, Joh. graculus, p. 65.
Carolo, Lud. Jac. à S. solœcismi literarii, p. 333.
Carpzovii, Fridr. Ben. laus, p. 182.
Casa, Joh. de la, an Sodomiam laudaverit, p. 278.
Casauboniana, p. 142. 158.
Catalogorum laus & bonorum defectus, p. 195.
Catalogos Bibliothecarum qui non communicant sunt bibliotaphi, p. 197.
Cellarius, Chr. laudatus, p. 75.
Chemnitius, Mart. disputator placidus, p. 61.
Chevræana, p. 159.

Ciampianus, Joh. notatus, p. 67.
Clarmundus, Adolph. notatur, p. 172.
Clementis, Claudii, digressio de Bibliotaphis, p. 213. sqq.
Clericus, Joh. notatur, p. 303. 346.
- - - - solœcismos literarios committit, p. 347.
Coccejanorum in Belgio stratagema dogmata sua stabiliendi, p. 19.
Codex Justinianæus pro homine habitus, p. 367.
Colomesiana, p. 100.
Cometæ nihil extraordinarii portendunt, p. 46. variæ sententiæ de earum significatu, p. 49. & p. 384.
Comparationes odiosæ in conversationibus fugiendæ, p. 67.
Concionatores an fabulas possint afferre in homiliis? p. 253.
Confucii scripta dijudicantur, p. 144.
Conringiana, p. 160.
Consilia alienis res Eruditis sunt gerendæ, p. 74. & p. 384.
Contradicendi studium notatur, p. 69.
Controversiarum exoticarum studium oscitanter tractatum, & ejus rei causæ, p. 18. sqq.
Conversationis utilitas, p 83.
- - - - eruditæ regulæ, p. 64. sqq.
Cujacius, Jac. singul. p. 88.

D.

D.

Daumiana, p. 160.
Decori neglectus Eruditis maximè noxius, p. 56.
Denaisius, Petr scripta sua ante mortem cremat, p. 201.
Desnoues, G. solœcismus literarius, p. 374.
DEUS num turpem vel malam actionem præcipere possit? p. 277. sqq.
Dicta sapientum & prudentum apud omnes fere gentes sollicitè collecta, p. 143.
Disciplinæ quondam secretim habitæ & occultatæ, p. 11.
in *Disputando* modestè agendum, p. 60.
de Dominis, Marc Ant. singul. p. 208.
Dorschæi, Jo. Ge. laus, p. 181.

E.

Edda liber Islandicus, p. 365.
Erasmi Roterodami error ridiculus, p. 373.
Ericus, Jo. Petr. notatus, p. 303.
Ernstii, Henr. Catalogus MSCtorum Bibliothecæ Mediceæ recensitus, p. 89.
Eruditi modesti idea, p. 54. sqq.
Eruditorum solœcismi grammatici, p. 318.
- - - solœcismi in variis scientiis commissi, p. 320.
- - - solœcismi literarii, p. 321. sqq.
Euremoniana, p. 161. & 385.
Euremonii character, p. 161.

Euripus an habeat certam undarum reciprocationem, p. 131.
Eusebii nomen lapsus causam suppeditat, p. 373.
Exorcismus quid? p. 2.
Exorcismi varii Veteribus usitati, p. 2. sqq.
Exorcismus literarius quid? p. 5. ejus varii modi, p. 5. sqq.

F.

Fabricii, Jo. Catalogus Bibliothecæ propriæ affectus, p. 387.
Famæ quantum in historicis tribuendum? p. 232. 249.
Fechtii, Jo. laus, p. 183.
- - - Collegium Irenicum pro lectionibus in Irenæum inepte habitum, p. 379.
Finwetterus, quis sub nomine hoc lateat, p. 196.
Flamminius, Ant. Eremita literarius, p. 84.
Flosii, hominis Galli, solœcismus liter. p. 349.
Frantzius, Wolfg. disputator placidus, p. 61.
Fureteriana, p. 162.

G.

Gallorum in re literaria fastus, p. 331.
- - - solœcismi literarii frequentes, p. 333. sqq. p. 348. sqq.
Garrulitas Eruditis vitanda, p. 65.
Gattackerus, Thom. singul. p. 73.
in *Geographia* Eruditorum lapsus, p. 320.

Germani controversias exoticas negligentius tractant, & quæ ejus rei causæ, p. 18. sqq.
- - - Veteres in literis non adeo rudes, ut communiter volunt, p. 323.
- - - à quibusnam contra obtrectatores Gallos sint vindicati, p. 331.
Gestuum modestia Eruditis commendata, p. 62.
Glossatorum Juris Civil. solœcismus, p. 375.
Goulartii, Sim. sphalma literarium, p. 361.
Grabiana, p. 163.
Grabius, Mart. Sylv. laudatur, p. 163.
Gronoviana, p. 164.
Grotiana, p. 164.
Gundlingius, Nicol. Hier. defensus, p. 154. notatus, p. 303.

H.

Hannemanni, Jo. Lud. solœcismus liter. p. 365.
Hardt/ Hermanni von der/ peculiaris, de vocatis ab Adamo animalibus, sententia examinata, p. 258. sqq.
Hatto I. Episcopus Moguntinus, sing. p. 226.
Hattonis II. Archi-Episcopi Moguntini vita, p. 228. 243.
- - - an à muribus fuerit corrosus, p. 230. sqq. Origo hujus fabulæ, p. 256.
Heideggeri, Jo. Henr. solœcismus liter. p. 377.
Henrici Seynensis error literarius. p. 356.
Heumannus, Chr. Aug. notatus, p. 157.
Hieronymus de S. Fide, sing. p. 369.

Hiſpani bibliotaphi, p. 183. 197.
in *Hiſtoria literaria* facilis eſt lapſus, p. 326.
ejus inepti cultores. p. 328.
Hoffmanswaldau poëmata ſua inedita cremat, p. 201.
Holſtenii, Luc. Catalogus Bibliothecæ Mediceæ laudatur & exhibetur, p. 90. ſqq.
Homerus moritur ex mœrore, p. 138.
Honorum nimia cupiditas notatur, p. 80.

I.

Jameſiana, p. 165.
Indicum bonorum laus & defectus, p. 204. ſq.
Infallibilitatem affectare non debet Eruditus, p 68.
Invidi librorum occultatores deſcribuntur, p. 186. ſqq.
Joncourtiana, p. 165.
Irenæus, exorcista literarius, p 6.
Iſſelti, Mich. ſolœciſmus liter. p. 357.
Ittigii, Thom. laus, p. 182.
Judices quondam adjurati, p. 3.
Juſtinianus Imp. libros JCtorum Veterum comburit, p. 199.
- - - - - pro Ethnico falſo habitus, p. 375.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0408
DFG

K.

Kelile & Dimne liber, p. 366.
Ker, Joh. Thraſo literarius, p. 72.
Kircherus, Athan. notatur, p 144. ſolœciſmum committit literarium, p. 357. in lingvis orientalibus non adeò verſatus, p. 358.
Königii, Ge. Matth. ſolœciſmi literarii, p. 361. & 375.
Kyranidum Opuſcula deſcripta, p. 363.

L.

Labata, Franciſci ſphalma liter. p. 356.
Labbe, Phil. ſolœciſmi literarii, p. 338.
Langii, Gvilh. Catalogus MSCtorum Bibliothecæ Mediceæ, p. 89.
Law propria Eruditorum ſordet, p. 70.
Librarii quondam adjurati, p. 5. ſq.
Libri obſcœni an ſint celandi? p. 211.
- - & eorum tituli pro hominibus habiti, & contra, p. 368.
- - vetuſtatem typographicam mentientes, p. 380.
Librorum ſuppoſitio per exorciſmum prohibita, p. 9.
- - - invidi occultatores, p. 183.
= = = frontiſpicia reſecant nonnulli, p. 190:

Libro-

Librorum dorso an contenta Voluminis, sint inscribenda? p. 193.
- - - qui pauca imprimi faciunt exemplaria, sunt bibliotaphi, p. 203.
Libris quondam exorcismi adscripti, & quare? p. 5. sqq. & p. 383.
Libros prohibendi inventum Pontificiorum notatur, p. 13. 206.
- - - bonos qui non commendant, ubi debebant, sunt Bibliotaphi, p. 192.
- - - aliorum & proprios quinam combusserint? p. 199.
- - - quidam sepeliri secum mandarunt, p. 202.
- - - qui titulis obscuris insigniunt, sunt bibliotaphi, 203.
Circa *Libros* & titulo eorum lapsus Eruditorum, p. 360.
Ex *Libris* aliorum cur plus proficiamus, quam ex nostris? p. 180.
Linden, Jo Anton. van der, sphalmata literaria, p. 89. 363.
Linguæ cultura cur Adamo fuerit necessaria? p. 293.
- - - hebrææ vetustas, p. 310.
Lipsius, Justus, notatur, p. 130.
Literariæ rei studium à Veteribus neglectum, p. 322. sqq. facilis in eo datur lapsus, p. 326.
- - - Antistites & cultores, p. 325.
Liturgia Christi, unde sic dicta? p. 375.

Lo-

Loca Scripturæ illustrata. Genes. II. 18. 19. 20. p. 258. sqq. III. 3. p. 295. III. 20. p. 296. Levit. XX. 15. 16. p. 285. Deut. IV. 2. XII. 32. p. 5. Ps. XLV. p. 260. Matth. XIII. 52. p. 42. Act. X. 19. p. 46. Apoc. XXII. 18. 19. p. 5.
Lockius, Joh. laudatur, p. 66.

M.

Maresius, Sam. Bekkeri & Altingii adversarius, p. 31. sqq.
Marville, Vigneul de, quis sub hoc nomine lateat, p. 152. & p. 385.
Medici quondam adjurati, p. 4.
Melanchtoniana, p. 165.
Circa *Melanchtonis* nomen lapsus, p. 373.
Menagiana, p. 165. & p. 385.
Militaris rei scriptores in MSCto latentes, p. 100.
Modestia Eruditorum fusius delineata, p. 54. sqq.
Monachorum βιβλιοσοφία, p. 184.
- - - - in seculis barbaris ignorantia, p. 323. 350. 355.
Morum elegantia doctos commendat, p. 57. sqq.
Mosis scopus in historia sua, p. 284.
Moyeriana, p. 167.
Müllerus, Andr. sua ante obitum cremat, p. 200.
Murium turris in Rheno prope Bingam unde dicta? p. 233. 249.

N.

N.

Naudæana, p. 167.
Nomina animalium an ab Adamo sint profecta? p. 261. sqq. & quidem omnia & singula? p. 306. sqq an naturas animalium exprimant? p. 309. sqq.
Nominum impositio signum dominii est, p. 295.

O.

Oliva, signum Stephani, lapsûs ansam suppeditat, p. 379.
Origeniana, p. 167.
Ottonis, Jo. Henr. historia Doctorum Misnicorum solœcismi causa, p. 378.

P.

Pæan quid & quotuplex, p. 127. etiam in honorem hominum fuit decantatus, p. 125.
Pandectarum Codex Florentinus describitur, p. 87
Pansophi notati, p. 84.
Papistæ in rem literariam maximè injurii, p. 12. sqq. & 208. rei literariæ quondam ignorantissimi, p. 324. 350. lectionem librorum quorundam sub anathematis fulmine prohibent, p. 13. 14. sunt bibliotaphi, p. 206. & solœcistæ literarii, p. 350. sqq. Sanctos fingunt chimæricos, p. 352.

Paracelsus, Theoph. Plagiarius, p. 199.
Parrhasiana, p. 167.
Patiniana, p. 168.
Patres antiqui exorcismo literario usi & cur? p. 6. 7.
Patricius, Francisc. censetur, p. 128.
Perroniana, p. 169.
Petavius, Dionys. animal disputax, p. 69.
Peyrerius, Isaac. notatur, p. 302.
Pictoribus an & quatenus in historia fidendum? p. 252.
Pisces an ab Adamo nominibus sint vocati? p. 308.
Pithœana, p. 170.
Placcii, Vinc. solœcismus literarius, p. 376.
Plagiarii exorcismo quondam coërciti, p. 9.
Poëmata Vet. Græcorum combusta, p. 199.
Politanus, Angelus, aliorum obtrectator, p. 77.
Possevini, Ant. Catalogus MStorum Bibliothecæ Mediceæ, p. 89.
Postillarum nomen unde ortum? p. 355.
Præceptores non sunt despiciendi, p. 78.
Professores Academici decori esse debent observantissimi, p. 82.

Q.

le *Quien*, Michaëlis, solœcismus literarius, p. 342.

R.

Reimmannus, Jac. Fridr. notatus, p. 198. 271. solœcizat in re literaria, p. 370.
Reinesius, Thom. singul. p. 381.
Repkau, Eckardi de, exorcismus Speculo Saxonico præmissus, p. 8.
Religiones Eruditorum per solœcismum mutatæ, p. 334. & p. 374.
Rhintelensis Academia à nonnemine in Holsatiam collocata, p. 371.
Riveti, Andr. solœcismus liter. p. 342.
Rousseau peccat contra quartum præceptum, p. 78.
Rüxnerus, Georg. impostor. p. 206.

S.

Saloniana, p. 170. singularia de morte *Domini de Sallo*, p. 170. & p. 386.
Salmasius, Claud. homo arrogans, p. 76. Manuscripta à se elaborata cremat, p. 201.
Sancti à Pontificiis ficti, p. 352. sqq.
Sannazarii, Jac. patria pro libro habetur ejus nominis, p. 370.
Santoliana, p. 171.
Scaliger, Jul Cæs. laudatus, p. 77.
Scaligerana, p. 171.

Schifforderherus opus proprium cremat, p. 202.
Schotti, Andr. exorciſmus literarius, p. 383.
Schurzfleiſchiana, p. 172.
Scientiarum ſyſtemata ex collectionibus ſapienter dictorum orta, p. 144.
Scribæ quondam adjurati, ne quid immutarent in deſcribendo, p. 5.
Segraiſſiana, p. 173.
Seldeniana, p. 386.
Sennertus, Andr. diſputator modeſtus, p. 61.
Seynenſis, Henr. ſolœciſmus liter. p. 356.
Sickius, Henr. Eruditus ſine moribus, p. 58.
Sidney, Phil. Arcadiam ſuam cremat, p. 200.
Simleri, Joſiæ, ſolœciſmus liter. p. 362.
Simonis, Rich. ſolœciſmus, p. 340.
Sluteri, Sev. Walth. lapſus literarius, p. 364.
Socrates decori in geſtibus negligens, p. 63.
Solœciſmus quid, & unde dicatur? p 317.
Solœciſmi Eruditorum grammatici à quibus notati? p. 318.
- - - - - - - in variis ſcientiis commiſſi, p. 320. ſqq.
Solœciſmus literarius quid? p. 321. varia ejus exempla, per totam Oſervat. V. Veteribus ſolœciſmi hi condonandi non æquè recentioribus, p. 326. leviores condonandi, non æquè craſſiores, p. 327. 328. ſunt notandi, p. 382.
Sorberiana, p. 173. & p. 386.

Spinoza, Ben, tractatus quosdam cremat, p. 201.
Spizelii, Theoph. solœciſmus liter. p. 371.
Stahlius, Dan. facilis in diſputando, p. 62.
Statemius Auctor fictitius, p. 319.
Staupitii, Joh. ſcripta combuſta, p. 200.
Struvius, Burc. Gotth. notatus, p. 154. ſolœciſmi ejus, p. 378.

T.

Taciti locus explicatus, p 323.
Talmud pro homine habetur, p. 356.
Tambaco, Joh. de, liber de conſolatione theologica vetuſtatem impreſſionis mentitur, p. 38c.
Targum Hieroſolym. homo eſſe putatur, p. 356.
Taubmanniana, p. 174.
Teiſſierii, Anton. ſolœciſmus liter. p. 339.
Telemaquiana, p. 174.
Tempus non inutiliter terendum in converſando, p. 65.
Tentzelius MSCta ſua comburit, p. 201.
Teſtimonii negativi quænam ſit vis in hiſtoricis? p. 237.
Theophilus, Chriſtian. notatur, p. 259.
Thraſones literarii notantur, p. 71. 72.
Thuana, p. 174.
Tituli librorum quales eſſe debeant? p. 203. pro hominibus ſæpe habiti, p. 360. ſqq. malè intellecti, p. 375.

Tra-

Traditionis quanta sit in historicis fides? p. 247.
Turcarum βιβλιοθήκη, p. 184. 190.

V.

Valesiana, p. 175.
Vasconiana, p. 176.
Vasquezii, Gabr. solœcismus liter. p. 360.
Veronica fœmina sancta à Pontificiis per solœcismum ficta, p. 353.
in *Vestitu* decorum observare debet Eruditus, p. 63.
Veterum ruditas in re literaria, p. 322.
Viar, sanctus fictitius, p. 352.
Virgines undecimmille Martyres, Papistarum figmentum, p. 361.
Vtino, Leonh. de, Sermones de Sanctis vetustatem impressionis mentiuntur, p. 381.

W.

Wanslebii, Joh. Mich. solœcismus, p. 375.
Wasmuthi, Matth. solœcismus liter. p. 368.
Wayen, Joh. van der, singulari casu in Cocceji castra transit, p. 30.
Wigandi, Joh. vitæ Theologum MSCtæ, p. 386.
Wigandiana, p. 154. 176. & p. 386.
Wolfius, Jo. Christoph. laudatus, p. 141.

X.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0417
DFG

X.

Xius, Imperator Chinensis, libros Sinicos cremat, p. 200.
Xynoris martyr à Baronio per solœcismum fictus, p. 358.

Z.

Zieglerіana, p. 176.

ae & amicorum & familia-
uolentiae fructus capiebat
si quis alius vnquam, vte-
gnis. Amicorum commo-
tissimus. Studiis intentus
s negligebat, & patrimo-
bellis aere alieno imminu-
us reliquerat, ipse à publi-
lucrosis auersus sua indu-
m satagebat. Honores pu-
&, nisi quod per plures an-
praefectus (g) fuit, officia,
capessiuit.

s studebant literis, habebat
ditionem minime vulgarem
ter quos praecipuus fuit
equestris ordinis vir, qui
ptiaco, Hebraeo & Graeco,
ortalem sibi famam compa-
ditissimus affinitate *Stanleio*
m eius vxorem habuit,) in
is a iuuenilibus annis semper
illi

in disticha redegisse stylo elegan-
Sed ea interiere, & forsitan
n prodire nunquam auctor vo-

le quo munere vid. Miegius im
ischen Staat P. I. cap. 38. pa

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759317160/phys_0423
DFG